DE HYMNO
IN APOLLINEM DELIUM HOMERICO.

COMMENTATIO CRITICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

ALMAE LITTERARUM UNIVERSITATIS
ROSTOCHIENSIS

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

IN PUBLICUM EDIDIT

JOSEPHUS PRIEM.

MONASTERII

TYPIS JOSEPHI KRICK

MDCCCLXXII.

Praefatio.

Ex quo Vir Summus, F. A. Wolfius, ingentem illam et gravissimam de carminum Homericorum origine atque aetate controversiam excitavit, initio quidem in Iliadem tantummodo atque Odysseam accuratissime inquirere coeperunt viri docti, postea vero etiam carmina minora ad poetarum principem vulgo relata, quae multa saecula oblivione prorsus fere obruta fuerant, iamiam neglegere desiere. Praeter cetera autem criticorum et interpretum animum atque operam hymni in se converterunt Homerici, quippe qui diligentiori studio et dignissimi esse et maxime indigere viderentur. Nihil enim ex omni antiquitate superest, quod „auream illam Homeri simplicitatem nativamque elegantiam referat planius[1])“; nihil, quod crudeliori fortuna aegrius interitum effugiens magis lacerum, gravioribus vulneribus confectum, tetrius deturpatum ad nos pervenerit. Quantum vero sola iam interpolatione detrimenti capiant pulcherrima poetarum opera, nemo Ruhnkenio acrius intellexit, praeclarius elo-

[1]) Verba sunt Ruhnkenii in Epist. Crit. I. Vid. Homeri Hymn. in Cer. ed. a D. Ruhnk. Accedunt duae epistolae critt. Lugduni Batavorum 1808. p. 88.

cutus est. „Sit enim“, inquit,[1]) „carmen aliquod quamvis multis ingenii doctrinaeque luminibus frequentatum: simulatque interpolatur, languidum fit et friget, divini ingenii cursu velut retardato; ipsa argumentorum explicatio turbatur ac pervertitur; omnis denique lepos et elegantia perit.“

Suo igitur iure haud pauci inde a Ruhnkenio viri et doctrinae laude et ingenii acumine pariter excellentes in eo elaboraverunt, ut, quas iniuria temporis hominumque hymni illi susceperant maculas, eluerent atque delerent. Sed quum plurimi in iis loci occurrant adeo misere turbati et grammaticorum librariorumque aut inscitia aut consilio interpolati ac corrupti, ut unquam omnes feliciter sanatum iri, paene desperandum sit, non potuit fieri, quin satis multa restarent, quae nova inquisitione dignissima viderentur. Iam vero ut in hymno in Apollinem scripto critices tirocinium ponerem, duae potissimum me impulerunt rationes, quod communi virorum doctorum iudicio antiquissimus omnium perhibetur, et quod Thucydidis historiarum l. III. c. 104 complures abhinc annos primum quum legerem, ab auctore gravissimo carmen nostrum disertis verbis Homero attribui vehementer miratus sum; quod si verum esset, vetus illa de patria Homeri controversia facillime disceptaretur. Et tunc quidem consilium meum de iudicii Thucydidei veritate agendi alia studia quum impedivissent, otium opportunum

---

[1]) Ruhnk. l. l.

nactus iam ad quaestionem illam revertebar. Sed vel obiter hymnum inspicienti tot tantaeque occurrunt difficultates, ut carmen totum una dissertatione absolvi non posse appareat. Quam ob rem reliqua parte in aliud tempus reservata hoc loco de versibus tantum 1—178, quippe qui integrum in Apollinem Delium carmen efficerent, disserendum esse duxi atque ita progrediendum, ut fabula totius carminis, quomodo in libris legitur, breviter enarrata primum exponerem, quibus de causis versibus 1—178 integrum hymnum contineri statuendum esset. Deinde in hac ipsa parte priore pro viribus meis quam diligentissime potero falsa et suppositicia secernam a legitimis et germanis; tum de elocutione poetae nostri agendum erit Iliade potissimum et Odyssea in comparationem adhibitis; in calce denique operis quaedam subiungam de hymni aetate atque auctore.

Pars I.

Quibus de causis versus 1—178 integrum carmen efficere statuendum sit.

§. 1.

Fabula totius carminis.

Apollinem longe iaculantem cantaturus primum reverentiam describit poeta, qua omnes dii, quandocunque in eorum consessum redeat, ei assurgant, Latona pharetra et telis filium levet, Iuppiter poculum ei propinet. vv. 1—13. Beata praedicatur Latona, quod egregios liberos, Apollinem et Dianam, hanc in Ortygia, illum in Delo pepererit. 14—18. Ex affluenti Apollinis laudum copia natales potissimum dei poeta sibi celebrandos sumit. 19—29. Latona Apolline gravida omnes insulas maris Aegaei obit terrasque ei adiacentes, si cui persuadere possit, ut filio templum exstruat; sed nulla ex omnibus deum audet recipere verens, ne Apollini solo minus idoneo uti videatur. 30—48. Denique ad Delum postquam pervenit Latona, quum et ipsam minus moveret eadem sibi timentem, scilicet ne ob sterilitatem suam contempta a deo in mare prorueretur, tandem iureiurando interposito, in ipsa primam atque praecipuam sedem Phoebum esse collocaturum, libenter recipitur. 49—90. Iam ea per novem dies totidemque noctes parturiente Ilithyiae clam infesta Iunone ab Iride arcessitae adventu et auxilio nascitur Apollo. 91—119. Enarrantur tum sollennes in infante recens nato abluendo, vestiendo, nutriendo ritus et dearum praesentium ministeria. Quibus peractis deus fasciis

sponte solutis iuvenili conspicuus formositate prodit cum immortalium omnium stupore et admiratione atque insigni ipsius Deli gaudio et laetitia. 120—139. Ipse deus a Delo profectus per alias quidem terras et gentes saepe vagatur, sed summopere solum natale animum eius delectat, ubi clarissima sacra ludique ab universis Ionibus in eius honorem celebrantur. 140—164. Apollinem cum Diana valere iubet poeta et puellis Deliacis se ipse commendat. 165—178.

Enumeratis locis quibusdam Apollini sacris inque iis Delo insula deum musicum poeta describit, quomodo citharam pulsans Pytho adeat atque inde Olympum conscendat, ubi deos deasque ad cantum, saltationem, laetitiam pelliciat. 179—206. Varia sibi poeta proposita esse fingit argumenta, ex quibus unum deligeret. 207—215. Exponitur Apollinis iter ad sedem oraculo quaerendam susceptum ex Olympo per Thessaliam, Euboeam, Boeotiam usque ad Telphusam fontem. 216—244. Ibi templum struere aggressus a nympha non Apollini, sed sibi consulente, quum Phoebo recepto cultum suum deteriorem fore intellegat, fuco facto sibi persuaderi patitur, ut prope Crisam sub Parnaso monte condat oraculum. 245—275. Itaque per reliquam Boeotiam et partem Phocidis progressus loco a Telphusa significato templum exstruit. 276—299. Vicinus huic erat fons pulcherrimus, ubi deus draconem illum interfecit, cui Iuno, Iovi infensa ob partum Minervae, Typhonem e terra procreatum nutriendum tradiderat. 300—355. Interempto igitur dracone, unde locus ille Pytho Pythiusque deus appellatur, quum a Telphusa se deceptum esse iam intellegat, ad fontem redit eumque mole iniecta obstruit. 356—387. Tum vero, quibus sacrorum et oraculi curam committat, in animo volvens Cretenses nautas animadvertit mercennariis ratibus Pylum petentes; itaque statim in delphinum mutatus obviam natat cursumque navis inhibens cogit eos Crisam appellere 388—439, ubi resumpta forma humana exponit, quis sit et

quae causa facti, sacrisque suis eos praeficit. 440—544. Sequitur sollennis hymnorum Homericorum clausula 545 sq.

§. 2.

Explicantur divisionis argumenta.

Qui in codicibus nostris continua serie leguntur versus 546, primus Ruhnkenius vidit in binos hymnos dividendos esse, quorum prior (vv. 1—178) Apollinis Delii, posterior Delphici laudes complecteretur. [1]) Quod iudicium gravissimum editores inde ab Ilgenio omnes vehementer comprobaverunt, et profecto de hac re nulla potest remanere dubitatio. Namque ad externa primum quod attinet documenta, Athenaei quidem verbis [2]), quos laudat Groddeckius: *Ὅμηρος ἐν τοῖς εἰς Ἀπόλλωνα ὕμνοις φησίν*, hoc tantum efficitur, plures huius tituli hymnos eum habuisse; at de nostro carmine Athenaeum loqui quis argumentis possit comprobare? Contra a summo rerum scriptore disertis verbis hymni Deliaci exitus significatur, quum de carminis nostri auctore dicit [3]): *Τὸν γὰρ Δηλιακὸν χορὸν τῶν γυναικῶν ὑμνήσας ἐτελεύτα τοῦ ἐπαίνου ἐς τάδε τὰ ἔπη, ἐν οἷς καὶ ἑαυτοῦ ἐπεμνήσθη· Ἀλλ' ἄγεθ' ἱλ. κ. τ. λ.* Etenim illud *ἐτελεύτα τοῦ ἐπαίνου* nullo modo ad laudem referri potest choro Deliaco tributam, quippe ad quam nihil pertineant versus subsequentes, sed significat „finem fecit hymni in Apollinem", ut recte intellexit Aristides, cuius verba haec sunt [4]): *τίς ἄριστος ἐπῶν ποιητής; Ὅμηρος. τίς δ' ὡς πλεῖστον ἀνθρώποις ἀρέσκει καὶ τῷ μάλιστα χαίρουσι; ἢ τοῦτό γε καὶ αὐτὸς ὑπὲρ αὐτοῦ προεἰδετο· διαλεγόμενος γὰρ ταῖς Δηλιάσι καὶ καταλύων τὸ προοίμιον, εἴ τις ἔροιθ' ὑμᾶς, φησίν, ὦ κοῦραι, κ. τ. λ.*

---

[1]) Ruhnk. l. l. p. 91.

[2]) Athen. I. p. 22 C. cf. Groddeck.: Commentatio de hymnorum Homericorum reliquiis. Gottingae 1786. p. 30.

[3]) Thuc. III. 104.

[4]) Aristid. II. p. 409.

Accedit denique collata ceterorum hymnorum similitudine, quod vv. 165 sqq. et maxime 177 sq. solitum hymnorum continent epilogum ac finem.

Sed etiamsi externis his documentis non stabiliretur divisio nostra, tamen ut aliter iudicaremus, nequaquam fieri posset. Nam quod Frankius brevissime indicavit, utriusque hymni diversum esse argumentum, diversam dictionem, utriusque suum quoddam exordium, suum epilogum, vide quam verum sit. Etenim priore hymno initio narrationis ab erroribus Latonae ducto natales Apollinis ita describuntur, ut non solum omnia ad honorem Deli insulae referantur, verum etiam carmen ipsum in conventu Deliaco coram Ionibus diem festum celebrantibus cantatum esse appareat. Neque minus artis finibus circumscriptus est hymnus Pythicus, quo conditum in saltu Delphico Apollinis templum et oraculum ita narratur, ut nihil insit, quin cum hac re aliquo modo coniunctum sit et consociatum.[1])

Atqui duo argumenti tam diversi carmina fieri non potest ut unum eundemque hymnum Homericum unquam effecerint, quamvis multa post v. 178 in libris nostris excidisse suspiceris. Namque hoc differunt maiores quidem hymni Homerici quum ab aliis tum a Callimacheis, quod ex innumerabili fabularum ad numen aliquod spectantium copia una potissimum selecta est eique enarrandae totum carmen ita impenditur, ut, si exordium et epilogum demas, verum ἔπος vel potius ἐπύλλιον esse videatur. Contra in Callimacheis, si unum in Delum hymnum excipias, non una tantum dei actio secundum momenta eius narratur, sed potius diversae actiones in eo uno congruentes, quod ad maiestatem, potentiam, munera dei illustranda aequaliter spectant, copulantur, et, ubi una actio exponitur, ea verius pro episodio ad virtutes dei sub oculis ponendas apto, quam pro

[1]) Cf. Hymni Homerici. rec. A. Baumeister. Lipsiae 1860. p. 105 sq.

summo carminis argumento habenda est.[1]) At forsitan quispiam dixerit: quemadmodum e carminibus Callimacheis solus hymnus Deliacus Homericorum hymnorum *οἰκονομίαν* quodammodo refert, ita ex Homericis unus in Apollinem diversus a ceteris easdem atque Callimachei fere omnes componendi ostendit rationes. Sed ne dicam, rationem a Callimacho adhibitam ut poesi lyricae propius accedentem ab antiquorum temporum, quibus carmen nostrum conditum esse apparet, prorsus abhorrere simplicitate, vel per se spectata duo illa in Apollinem carmina unum hymnum constituere nequeunt.

Etenim tanta inter haec carmina similitudo et congruentia cernitur in partium singularum dispositione et compositione, ut alterum ad alterius normam conditum esse verisimillimum sit. Quam concordiam uberrime quidem et accuratissime Baumeisterus explicavit[2]), sed iniuria idem vehementer admiratur, illam a nullodum eorum, qui de his carminibus egerint, esse observatam. Mihi enim etiam magis mirum videtur, Baumeisterum illud scribere potuisse, quum non Lehrsius solum et Schneidewinus idem animadverterint, sed iam Ilgenius[3]) diserte dicat: „Totus hymnus in Apollinem Pythium imitatio praecedentis est in Apollinem Delium.“ Versibus igitur 1—13 respondent examussim vv. 182—206 (utrique prooemii partes tuentur); tum in utroque carmine idem versus transitum parat ad caput rei, v. 19, 207; deinde ipsum argumentum breviter indicatur simillima interrogandi formula v. 25, 214; rursus autem errores Latonae per omnes insulas urbesque mari Aegaeo adiacentes vagan-

---

[1]) Cf. Hymni Hom. rec. C. D. Ilgen. Halis Saxonum 1796. p. 187 sqq. Groddeck. l. c. p. 19 sqq. A. Matthiae: Animadvv. in H. H. Lipsiae 1800 p. 2 sq. p. 8 sq.

[2]) Baumeister l. c. p. 106.

[3]) Ilgen. l. l. p. 250. cf. F. G. Schneidewin: Die homer. Hymnen auf Apoll. Abgedruckt aus den Göttinger Studien. Göttingen 1847. p. 59.

tis conferas cum itinere Apollinis commodam oraculo suo sedem quaerentis. Possis etiam fraudem Telphusae componere cum dolo Iunonis, irrito cadente utroque; denique ut prius carmen clauditur hilaritate conventus Deliaci, ita hymnus Delphicus laetissima inauguratione templi sacerdotumque institutione.[1] Atqui tantam similitudinem si concedas in argumento utriusque carminis conformando et disponendo vere observari, quum per se prorsus incredibile sit, poetam aliquem tantopere sui imitatorem exstitisse, prope necessario consequitur, aliena manu alterum hymnum ad alterius exemplar esse confictum. Accedit, quod fabula hymno Pythico narrata ne potuit quidem connecti ullo vinculo cum carmine praecedenti. Etenim descriptis Apollinis in Delo insula natalibus ita tantum ad condendum oraculum Pythicum, si quid video, transire licuit poetae, ut a Delo in alias deum terras migrasse narraret. Quam tamen solam transitus parandi viam iam ipse sibi obstruxerat versibus 140—146, ubi migrationibus dei brevissime indicatis ad Delum redierat dicens:

ἀλλὰ σὺ Δήλῳ, Φοῖβε, μάλιστ' ἐπιτέρπεαι ἦτορ κ. τ. λ.

Denique vel obiter rem inspicienti quasi sponte in oculos incurrit, quod h. l. brevissime tantum significari potest, colorem poeticum hymni Pythici aliquantum a Deliaco distare et imitationem redolere, quae anxie vestigia premere soleat, elocutionem laeto cavere vigore, denique poetam et ingenii vi et copia dicendi longe superari ab auctore praecedentis carminis. Quum hymnus Deliacus ad „auream illam Homeri simplicitatem nativamque elegantiam“ propius accedat, alterius auctor carminis non ex Homeridis fuisse, sed ex Hesiodi disciplina profectus videtur.[2]

---

[1]) Baumeister l. c. p. 106.

[2]) Baum. l. l. p. 115 sqq.

Pars II.

Quae genuina, quae spuria iudicanda sint.

§. 3.

Generales quaedam observationes.

Non contenti fuerunt carminis, quam modo argumentis comprobavimus, divisione viri docti, quippe ex quibus haud pauci contenderint, unitatem argumenti in utroque hymno vel omnino desiderari vel certe obscuratam esse interpolationibus et lacunis. Namque in hymno Deliaco primus Groddeckius „mira argumenti diversitate cum vario sermonis ornatu et colore“ ductus duo fragmenta sibi deprehendisse visus est: primum vv. 1—13, „hymni, quo Apollinem inter divos primo receptum celebraverat poeta, exordium, certe particula“; alterum vv. 19—178, „quo traditur nota de natalibus dei fabula.“ [1]) Idem hymnum Pythicum in tria fragmenta discerpendum esse opinatur. Aliquanto audacius etiam rem gessit F. C. Matthias, cui corpus hymnorum in Apollinem compositum est farragine non minus octo fragmentorum, ex quibus nonnulla denuo interpolatione sint inquinata. [2]) Deinde Lehrsius in priore hymno partes constituit has: poema perfectum et absolutum 1—13; hymnum maiorem in Apollinem Delium 25—178; duo lacera hymnorum fragmenta vv. 14—18, 19—24 (cui desit initium) [3]).

---

[1]) Groddeck. l. c. p. 29 sq.

[2]) F. C. Matthias in Ruperti und Schlichthorst: Neues Magazin für Schullehrer, I. 127 sqq.

[3]) Lehrsius in censura Hesiodeorum Rankii inserta Iahnii Annall. Vol. XXX. p. 261 sq.

Proxime huic accedit Schneidewinus, eo tamen diversus, quod vv. 14—18 integrum in Latonam hymnum contineri existimat, vv. 19. 25—29 carmini Pythico praefigit, denique vv. 20. 21. ex hymno in Apollinem Nomium fluxisse suspicatur.[1]) Longum est varias etiam Schierenbergii, Kieselii, Bothii, Creuzeri, aliorum de hymno nostro sententias hoc loco referre; vide modo, quae Baumeisterus l. c. p. 110 sq. de iis adnotavit. Omnes vero plus minus ut a summa carminis abhorrens eiiciendum esse censuerunt; solus nil fere poetae eripi patitur Spiessius.[2]) Itaque quum in tanto interpretum numero ne duo quidem inter se consentiant, proxima parte dissertationis meae in omnes locos, quibus aliqua ex parte offensi sunt viri docti, diligentissime inquirendum esse existimavi, ut diversis eorum rationibus accurate perpensis, quid genuinum, quid spurium esset, quam verissime diiudicaretur. Neque enim de elocutione neque de aetate aut auctore carminis quidquam affirmari potest, priusquam constituamus, quid initio scriptum fuerit. Sed antequam huic negotio pro viribus meis satisfacere conor, et ob rei gravitatem et ob viri nomen pauca mihi videntur esse de singulari prorsus ratione dicenda, quam Godofr. Hermannus de diversis quum maiorum hymnorum omnium, tum nostri carminis quae olim fuerint recensionibus contaminatis sibi persuasit.

„Hymnos Homeri," inquit,[3]) „alii poetae nunc addendo, nunc detrahendo, nunc mutando, prouti cuique consilium, quod ipse habebat, postulare videbatur, interpolaverunt: quae carmina si sic interpolata ad nostram aetatem pervenissent, profecto nulla ex parte facilius esset interpolatoris

---

[1]) Schneidew. l. c. p. 9—13; 15 sq.; 25 sqq.

[2]) Spiessius in progr. Duisburg 1833. „Homers Hymnus auf den delischen Apollo."

[3]) G. Hermannus in Epistola ad Ilgenium editioni Hymnorum Homericorum inserta. Lipsiae 1806. p. X. sq., XX.—XXVII.

verba ab antiqui poetae dictis distinguere, quam in Iliade et Odyssea. Sed magno fortunae beneficio factum est, ut in plurimis locis simul et veterem carminum istorum formam et ea, quae interpolatorum sunt, habeamus. Librarii enim, qui diversas illorum poematum recensiones ante oculos habebant, quum eas multis in locis congruere inter se animadverterent, eas recensiones, ut labori parcerent, in unum corpus coniunxerunt, semel scribentes, quae diversarum recensionum communia essent. Quamquam sic quoque factum est, ut hic illic aliquid sive de antiquioris poetae verbis, sive de mutationibus et additamentis interpolatorum interiret, maxime si non toto versu, sed hemistichio tantum vel alia leviori re inter se discreparet diversorum poetarum oratio. Quod etsi valde dolendum est critico, quem ea res ad periculosam coniectandi necessitatem compellit, nunc etiam omnino incertum reddit: nihil tamen impedit, quin ipsam de pluribus recensionibus disputationem, quoad licet, persequatur."

At quum et collectionem hymnorum Homeri nomine venditatam a doctis antiquitatis grammaticis constet nullius pretii fuisse aestimatam, et pauci illi libri manuscripti, quibus haec carmina debemus, tristissima utantur condicione, verisimillimum est, non eam librarios curam et diligentiam impendisse, ut collectis compluribus exemplaribus unumquodque carmen pertractarent, neque si illa sollertia fuissent, tam stulte opera sua fuisse abusuros. Quam ob rem Baumeisteri sententiam amplector et vehementissime comprobo, „hymnos maiores postquam varios casus tulerint volitando per ora rhapsodorum, postea demum literis esse consignatos neque vero studio complurium doctorum id agentium, ut carmina suavissima in pristinum nitorem restituerent, sed per tumultuariam unius hominis operam memoriter in papyrum coniecta [1]". Illam igitur rationem suam in hymno

[1]) Baumeister. l. c. p. 104.

Deliaco ita Hermannus vult valere, ut carmen a caeco vate Chio his versibus absolutum sit: 1—13; 19; 25—58; 61—72; 74—95; 97 - 135; 139—178; eundem hymnum post interpolatoris operam ex his versibus constitisse: 1—13; 19—56; 59—71; 73—95; 97; 96; 99—138. Lectionis enim varietates, quae versibus 78, 98, 135 sqq. inveniantur, plenissime indicare alius poetae manum, qui pro suo arbitrio illum hymnum interpolaverit. Causam vero interpolationis idoneam in eo positam esse, quod alii rhapsodi aliis in Graeciae urbibus canentes illa, quae ad puellas Deliacas spectent, pariterque caeci vatis commemorationem omittere debuerint, neque esse mirum, si quis rhapsodus semel ita hunc hymnum interpolaverit, hic illic etiam alia fuisse, quae ei mutanda viderentur.[1]) At quotumquodque carmen a rhapsodis cantari potuit, si omnia, quae ad auctorem eiusque patriam et condiciones spectabant, prius immutanda fuissent! Mihi quidem hisce ambagibus, quae prorsus incertis insuper rationibus nituntur, opus non esse videtur ad ea invenienda, quae hac illave causa corrupta et interpolata sunt. Omnino desperandum esset, genuinam nos ullius unquam carminis formam restituturos, si, quae in codicibus legimus, vere ita essent a librariis contaminata, quomodo Hermannus eorum rationes scribendi sibi excogitavit.

Iam ad singula videtur esse transeundum, quo facilius appareat, utrum cum Hermanno necesse sit duplicem statuere carminis recensionem, an virorum doctorum, quos supra laudavimus, sententiis malimus astipulari, an paucis versibus exceptis totus in Apollinem Delium hymnus bene se habere videatur.

---

[1]) Herm. Ep. ad Ilg. p. XXII.

§. 4.

De vss. 1—13.

Fuere qui iam tredecim versus primos ab hymno nostro alienos esse censerent. Chorum ducit Groddeckius, cui „mira illa argumenti diversitas cum vario sermonis ornatu et colore coniuncta“ persuasit, hos versus „hymni in Apollinem, quo deum hunc inter divos primo receptum celebraverat poeta, esse exordium certe particulam.“ [1]) At neque varium illum orationis colorem aut ipse potuit ostendere aut alius quisquam agnovit neque hymni eius, quod deprehendere sibi visus est, argumenti exordium aut particulam versus possunt efficere, qui rem totam soli absolvant. Immo ut ita statueret, eo videtur esse adductus, quod v. 5 sqq. aoristus legitur, qui credi possit rem commemoratam in semel facto ponere; at vehementer comprobanda G. Hermanni, quam de hac re aperuit, sententia: „Poeta initio universe reverentiam describens, quam dii praestent Apollini, ipsum deum eo habitu auditoribus ostendit, quo ille maxime est admirabilis. Quare eum non actionis expertem introducit, sed fungentem officio suo. Ita deum in actu motuque versantem intuens, incalescente animo, quod reliquum est, tamquam semel et certo quodam tempore factum enarrat.“ [2]) Proxime Groddeckio accedit F. C. Matthiae, Gymnasii Grunstadiensis director, qui et ipse hos versus ab hymno nostro abiudicat, sed omnem, unde venerint, quaestionem ita profligasse sibi videtur, ut „ex hymno in Apollinem scripto“ eos huc migrasse dicat. [3]) Aliter Lehrsius rem aggressus est et qui ubique fere eius vestigia solet premere, Schneidewinus. Ille enim postquam dixit vv. 1—13 picturam esse parvam illam quidem, sed quae summopero delectaret, et solos per se

---

[1]) Groddeck. Comm. p. 29 sq.
[2]) Hermann. Homeri hymni p. 3.
[3]) F. C. Matthiae l. c. p. 129.

carmen integrum atque absolutum efficere posse, paulo post sic pergit: „tredecim illi versus integer in Apollinem hymnus non possunt solum esse, sed re vera sunt.“[1])

Hoc igitur amplexus iudicium Schneidewinus aliquanto audacius etiam rem gessit, quum omni asseveratione affirmaret, poetam versibus nostris Apollinem longe iaculantem fuisse cantaturum.[2]) Quam sententiam duobus potissimum argumentis studet stabilire; etenim primum tam perfectos illos versus omni ex parte esse praedicat, ut post introitum tam sublimem poeta pergere non potuerit, quin omnem partium insequentium vim et effectum temere atque imprudenter tolleret et deleret. Sed ut concedamus splendidum hoc exordium et ipsius Homeri musa haud indignum iure existimari, tamen tantas esse eius virtutes, ut omnia, quae sequuntur, prae illo sordeant, iniquius profecto iudicium est, cui neminem assensurum confido. Reliquae enim hymni partes nequaquam adeo languent, ut auditorum exspectationes exordio excitatas postea falli vere contendi possit. Deinde Schneidewini disputationis vis etiam in eo cernitur, quod certam tredecim versibus primis actionem contineri dicit eamque ab insequentis hymni Deliaci argumento diversissimam; ex quo effici, ut exordii partes vindicare nequeant. Hoc contra eos disputatum esse apparet, qui, ut Ilgenius,[3]) Frankius,[4]) alii, morem esse dixerant hymnographis plerisque, ut commemoratione vel virtutis alicuius insignis vel rei ex quotidiana, quam deus sequitur, vivendi ratione repetitae, unde dignitas eius et maiestas eluceret, viam ad laudes sibi panderent,[5]) similiterque in nostro hymno prooemii loco dei potentiam, maiestatem, excellentiam generatim

---

[1]) Lehrsius l. c. p. 261 sq.
[2]) Schneidewinus l. c. p. 3 sq.
[3]) Ilgenius l. c. p. 192.
[4]) Frankius: hymni Hom. Lipsiae 1828, p. 4.
[5]) Cf. e. g. h. H. X, XI, XII.

declarari. Quod ipsum Schneidewinus ad nostrum locum pertinere negans non generales quasdam laudes, sed certam actionem deprehendere sibi visus est eamque talem, ut cum argumento hymni insequentis nullo modo reconciliari posset; illic enim Apollinem Delium, hic longe iaculantem celebrari. Quid inter iustum et ineptum prooemium intersit, hymni in Mercurium Homerici versibus 13 sqq. cum nostris in comparationem adhibitis facile dicit esse intellectu. At ne afferam, quod Hermannus rectissime iudicavit, ex diversitate exemplis comprobata hoc tantum effici, ut non omnia easdem leges sequi deberent,[1]) actio quidem in his versibus inest, sed non ea, qua certum insequentis hymni alicuius argumentum significetur, immo ea, quae in universum dei maiestatem declaret descriptione reverentiae, qua, quoties Apollo pererratis terrae finibus in coelum redeat, a diis excipiatur. Itaque quum exordium nostrum nihil habeat, quod a summa carminis alienum sit, demptis vero tredecim his versibus reliquum hymnum quisque intellegat fore mutilum, non video, cur non ea, quae in promptu sunt, conservare, quam quae desunt, desiderare malimus. Necnon in Iliade et Odyssea partes inveniuntur permultae, quae etiam seiunctae pulcherrimi carminis nomen vindicare possint; sed nemini adhuc in mentem venit eas ut a summa carminis alienas resecare; quidni in hymnis epicis eadem ratione utamur? Tredecim versus primos integrum in Apollinem ἕκατον hymnum efficere posse, libentes Schneidewino concedimus; sed valde de huiusmodi rebus nobis arridet sententia Baumeisteri, qui resecandam esse statuit libidinem coniectandi et reprimendam in eo loco, ubi neque urgeat necessitas causaeque graves contraria suadeant.[2])

---

[1]) G. Hermannus in Iahnii Annalium Vol. LII. p. 131.

[2]) Baumeist. l. c. p. 107.

§. 5.

De vss. 14—18.

Hos versus cum plerisque viris doctis, qui in hymnis Homericis elaboraverunt, aliunde irrepsisse arbitror. Etenim primum exordio absoluto iam ad propositas Apollinis laudes quisque prudens lector suo iure exspectat poetam esse transiturum; speciali vero epiphonemate tamquam altero prooemio Latonam invocari interrupto naturali orationis progressu molestissime necesse est feramus. Nam quod Bottigerus dicit[1]) celebrari non licuisse Apollinem, nisi matre etiam suo prooemio invocata, neque argumentis ex universa hymnorum natura neque exemplis e poetarum more petitis hanc sententiam potest comprobare; immo vero et pietati erga matrem vss. 1—13 iam satisfactum esse iure censebis et in carmine alii deo dicato aliud numen speciali honorari invocatione pietati erga illum prorsus officere. Deinde progressum sententiarum si spectas, neque cum praecedentibus hi versus neque cum iis quae sequuntur satis commode cohaerent. Cum prooemio quidem Frankius eos consociare conatur hac explicatione: „est vero, quod gaudeas, tam egregios peperisse liberos"; at ne dicam et vocabulum χαῖρε in formulam cessisse, ut ita urgeri non liceat, neque illud „tam" e verbis poetae ullo modo erui posse, certe Dianae in praecedentibus versibus mentionem fieri oportuit, si Latonae poeta erat gratulaturus, quod tam egregios liberos peperisset.[2]) Dianae autem, cui toto hymno nullae deferuntur partes, et in prooemio fuisset et hoc loco est prorsus importuna commemoratio.

Neque vero magis cum insequentibus consistere possunt versus nostri. Nam quum versu 19 poeta, qua potissimum ratione deum celebret, incertum se esse profiteatur,

---

[1]) Bottigerus in programmate: „Ilithyia od. die Hexe", p. 20 not.

[2]) Cf. Schneidewin. l. c. p. 9.

hoc loco de Apollinis natalibus nondum ei agere licuit, praesertim quod stantibus vss. 17. 18 putidissimam eiusdem rei iterationem exhibent vv. 25—27, qui quum loco suo moveri non possint, nostros alienos iudicare debemus. Haec enim repetitio non ea est, qua, quod in prooemio brevissime ut caput insequentis narrationis significatum est, postea in ipsa narratione uberius explicetur, ut fit vss. 115—119 collatis 25 sq. et 126 coll. 13, sed utroque aequaliter loco indicantur, quae postea poeta dicturus sit. Atqui posterius hoc iterationis genus ne in carmine epico quidem ferri potest.

Sed iam satis multa mihi verba fecisse videor, quibus de causis Frankio, Vossio, Bottigero, Spiessio, aliis, qui hos versus tuentur, assentiri nequirem; restat, ut, unde in textum irrepserint, paucis explicetur. Iniuria igitur Ilgenius versum 16. a reliquis seiungendum existimavit et ex Orpheo in nostrum hymnum translatum a grammatico quodam, qui non uno partu in Delo Apollinem et Dianam esse editos sibi persuasisset.[1]) Quamquam enim hic versiculus recurrit in hymn. Orph. XXXV. 5, tamen talis est, qui sine ulla offensione et interpolationis suspicione in diversis carminibus legi possit. Quam ob rem ceteri interpretes totum epiphonema, sicuti legimus, una eademque manu insertum esse iure censuerunt. E quibus G. Hermannus versus nostros suum locum inventuros sibi persuasit in hymno Pythico, cuius prooemium quale potuerit esse hoc experimento ostendit, ut versus 1 – 3½ sequi iubeat ½12– 13; 14—18; 29; 179 sqq.[2]) At ingeniosius hoc quam verius; magnopere enim vereor, ut omnes fere causae, de quibus supra in nostro carmine locum non habere diximus vss. 14—18, minus ad alterum valeant. Aliam viam probante Matthiaeo[3]) in-

[1]) Ilgen. l. c. p. 193.
[2]) G. Herm. Ep. ad Ilg. p. XXVIII sq.
[3]) A. Matthiae Animadvv. p. 109.

gressus est Groddeckius [1]), qui versus nostros, alius carminis seu hymni, in Latonam fortassis, epiphonema, ob argumenti similitudinem suspicatur primo ad versus 25—27 margini adscriptos, tum ob praegressum χαίρει hoc loco in textum irrepsisse. Quod iudicium et ipse Schneidewinus [2]) amplectitur, eo tamen diversus, quod mihi quidem valde arridet, ut non prooemium aut clausulam hymni maioris, sed integrum in Latonam carmen vss. 14—18 contineri statuat, quod ne mireris, confert pulcherrima frustula Theognideorum collectionis chorum ducentia scoliorumque fragmentum 5. (Delcct. Schneidew.) proxime ad horum versuum sententiam accedens.

§. 6.

De versu 19.

De sensu huius versiculi nulla potest remanere dubitatio: „Quomodo igitur“, inquit poeta, „te canam, qui tam plenus es laudum?“ Hoc est: quam partem laudum tuarum seligam, ut in eam excurram, quum tanta sit laudum tuarum copia, ut difficile sit dicere, quid reliquis praestet. Primus interpolationem h. l. suspicatus est F. C. Matthiae idque nulla alia causa, nisi quod idem versus recurrat in altero hymno v. 207 (29); ex quo tamen nil effici posse apparet, si quidem carmen Pythicum ad nostri exemplar esse confictum supra argumentis comprobavimus. Gravius foret, quod Lehrsius et Schneidewinus affirmarunt, si modo verum esset; contendunt enim neque cum sequentibus hunc versum neque cum antecedentibus posse consociari. Ad ea igitur, quae praegressa sunt, primum quod attinet, cum versibus quidem 14—18. nullo modo cohaerere versum 19. libens concedo rationibus supra expositis; sed restat, ut inquiramus, an illis deletis vv. 1—13 commode sequatur versus

---

[1]) Groddeck. Comm. p. 76.

[2]) Schneidewinus l. l. p. 9 sqq.

noster. Dicit igitur Lehrsius: „Versum 19. eiectis 14—18 cum v. 13 consociare non licet. Nam postquam poeta haud dubius, qua ratione Apollinem celebraret, canere incipiens in certa actione deum accurate descripsit, ineptissime interrogat: quomodo igitur te canam? Quae interrogatio quum initio potius hymni alicuius accommodata esse videatur, a versu 19. alterum censeo carmen incipi primo tantum versu carens; sed primus superioris hymni versus commode potest praemitti.“ [1])

At si vera sunt, quae supra disputavimus, non eam prooemio contineri actionem, qua quis summam insequentis carminis coniectando assequi posset, tota Lehrsii argumentatio irrita concidit. Schneidewinus deinde argumenta a Lehrsio allata, ut solet, amplexus versum 19. commode non sequi, nisi postquam simpliciter Apollinem se esse celebraturum poeta dixerit, effici opinatur collato hymni in Iovem Callimachei exordio: „Quis alius nisi Iuppiter dicendus est? *Πῶς καί νιν, Δικταῖον ἀείσομεν ἠὲ Λυκαῖον;*“ [2]) At ex diversitate exemplis comprobata iam supra monuimus hoc solum effici, ut non omnes easdem poetae amplecterentur componendi rationes. Et ipse Schneidewinus argumento allato parum confisus ad argutiolas confugit et minutam subtilitatem; quid enim est aliud, quod vocabulo *σέ* offenditur non ad Apollinem, sed ad Latonem referendo, quippe quae enunciati subiectum sit in vss. 12. 13? Nonne toto prooemio atque etiam in postremis eius versibus persona Apollinis ita eminet, ut, quum poeta pergat: *πῶς τ' ἄρ σ' ὑμνήσω*, de Apolline sermonem esse nemo audientium non statim possit intellegere? — Restat, ut, qua ratione cum sequentibus v. 19. cohaereat, contra Schneidewinum explicemus; sed huic officio satisfacere non possumus, antequam diiudicemus, utrum genuini an spurii sint vv. 20—24.

---

[1]) Lehrsius l. c. p. 261.

[2]) Schneidewinus l. c. p. 11.

§. 7.

De vss. 20—24.

E quinque his versibus tres posteriores praeter Groddeckium [1]), Schierenbergium [2]), Bothium [3]), Kieselium [4]) ab omnibus viris doctis spurii esse existimantur; ipse Spiessius, qui nil fere poetae eripi patitur, eos uncis inclusit. Et re vera nisi cum illis, quos modo commemoravi, temeraria interpretatione ex praegressis sensum velis eruere, qui nequaquam iis continetur, facere non poteris, quin ex sua sede, versus dico 144. 145, ubi addendus erit tertius, casu ut videtur omissus, in hunc locum incommode eos traiectos esse arbitreris. Quomodo enim sententiae inter se cohaerent hae: Ubique celebraris et in continenti et per insulas (vv. 20. 21); omnes autem speculae tibi placent et promontoria et flumina et litora et portus (vv. 22—24)? Immo vocabulum *πάντη* eique similis forma *πᾶσαι* stulto inficetoque homini ansam dederunt, ut antecedentis versus explicandi causa in margine eos ascriberet. Plures vv. 20. 21. invenerunt defensores; praeter eos enim, a quibus tres posteriores servari modo diximus, imprimis Ilgenius et Frankius, quamquam tres insequentes genuinos esse negant, priores tamen duos poetae eripi non patiuntur. Sed et ipsos tueri nequiverunt nisi contorta explicatione sententiae, quae versibus 19. 20 continetur; sin vero eum sensum unice verum esse iudicabis, qui sponte se offert legentibus, vv. 20. 21. cum versu 19. continui stare non possunt. Huius enim esse sententiam: „quomodo te canam, qui tam plenus es laudum“, iam supra diximus; illis vero, quamvis falsa et corrupta sit

---

[1]) Groddeckius l. l. p. 30.

[2]) Schierenbergius: „Ueber die ursprüngliche Gestalt der homerischen Hymnen auf Apollo“ in Progr. Lemgon. 1828, p. 16.

[3]) Bothius: hymni Homerici. Lipsiae 1835. ad h. v.

[4]) Kieselius: de hymno in Apollinem Hom. Berol. 1835, p. 19.

librorum scriptura, poetam dicere: „ubique enim celebraris et in continenti et per insulas", praeconceptis opinionibus non ductus quisque facile sibi persuadebit. Atqui haec quomodo inter se cohaereant: „abundas materia laudis"; „nam ubique celebraris," equidem fateor cogitatione me assequi non posse. Illud enim pertinet ad affluentem laudum Apollinis copiam et varietatem, in quas poeta cantu possit exspatiari; hoc ad locorum multitudinem, quibus carmina in Apollinem cantantur. Quomodo igitur sententia, quae versu 19. continetur, versibus 20. 21. potest comprobari? Immo ut supra v. 12 illud *χαίρει* causa fuit versus a vocabulo *χαῖρε* ordientes prooemio subiiciendi, ita hic nihil nisi vocabulum *πάντως* nescio cui ansam dedit, ut haec *πάντη γάρ τοι κ. τ. λ.* ascriberentur.[1]) Simillima ratione in celeberrimis Hesiodi et Theognidis carminibus saepissime sententias inter se excipere, quae connexum tantummodo simularent, Welckerus et Lehrsius multis locis ostenderunt. Haec igitur sententiarum discrepantia tanta est in versibus nostris, ut opus mihi non esse videatur A. Matthiaei[2]) et G. Hermanni[3]) iudicium adiicere, qui omnem locum, maxime vero ea verba, quae in primo versu legerentur, nonnihil a simplicitate antiquioris poetae abhorrere monuerunt. Ceterum ad primum illum versum quod attinet, fieri vix potest, ut corruptelae qua laborat efficax remedium inveniatur. In tanta interpretum copia vix duos inveneris, qui idem de eo sibi persuaserint, ipsaque ingens coniecturarum magis minusve infelicium copia satis cuique ostendere possit, neque certi quidquam adhuc esse inventum et haud facile quemquam exstiturum, qui novae cuiusdam coniecturae veritatem plerisque viris doctis persuadeat. Quam ob rem tantum abest, ut innumerabiles interpretum suspiciones easque diver-

---

1) Cf. Schneidewinus l. c. p. 12.
2) A. Matthiae l. c. p. 110 sqq.
3) G. Hermannus Ep. ad Ilg. p. XXIV.

sissimas nova quadam neque magis probabili aucturus sim, ut critici munus atque officium mihi maius esse videatur, quam versus sine dubio spurii formam restituere genuinam. Eadem autem huius versus corruptela ut videtur insanabilis me iudice impediet, quominus de origine horum versuum, unde irrepserint, quidquam asseveremus; immo hic nobis sufficere oportebit vv. 20—24 ut alienos reiecisse.[1])

§. 8.

De vss. 25—28.

Hi versus et per se spectati omnino boni sunt et eiectis 20—24 quoad sententiam artissime cohaerent cum v. 19. Neque enim F. C. Matthiaeo assentior, qui vv. 27. 28 additamentum esse dicit plane supervacaneum eaque de causa delendum (mira crisis in carmine epico!) neque fratrem eius Augustum offendisset orationis ieiunitas[2]), dummodo naturam laetitia exsultantem a poeta describi intellexisset, neque vero Kieselius mihi persuasit *κραναῇ ἐνὶ νήσῳ*, *Δήλῳ ἐν ἀμφιρύτῃ* cum Homericae non solum, sed cum omnis orationis legibus pugnare.[3])

---

[1]) De variis virorum doctorum coniecturis conferas imprimis Schneidewinum l. c. p. 15 et qui contra eum disputat, G. Hermannum in Iahnii Annall. 1848. p. 133. — Mihi quidem et verbis et sensui satisfieri videtur, si minima mutatione interpolatorem scripsisse statuamus:

πάντη γάρ τοι, Φοῖβε, νόμοι βεβλήατ' ἀοιδῆς.

Nam quum Pindarus dixerit Nem. 1, 8 ἀγὼν τὸν ὕμνος ἔβαλεν, Ol. 2, 89 τίνα βάλλωμεν sc. ὕμνῳ, Pyth. 4, 138 ἀρχαὶ δὲ βέβληνται θεῶν, dubitare nequeo, quin Graece etiam dici potuerit: ὕμνον βάλλειν τινί. — Quod si cui minus probetur, in promptu est scribere: πάντη γάρ τοι, Φοῖβε, νομοὶ βεβλήατ' ἀοιδῆς i. e. pascua resonant cantibus, quocum conferas illud Sophoclis: φθόγγος ὦτα βάλλει. At haec nimis lubrica!

[2]) A. Matthiae l. c. p. 113.

[3]) Vide quae contra eum disputarunt Schneidewinus l. c. p. 64 et Baumeisterus l. c. p. 123.

Sed quamquam per se boni essent versus nostri, tamen eos hic locum non habere ratus in alterum hymnum post v. 28 (207) Schneidewinus traiecit.[1]) Offenditur enim particula ἢ semel tantum posita; nam postquam interrogaverit poeta:

πῶς τ' ἄρ σ' ὑμνήσω, πάντως εὔυμνον ἐόντα;

frigidum illud et ieiunum:

ἢ ὥς σε πρῶτον Λητὼ τέκε κ. τ. λ.

deo non potuisse satisfacere, immo varia poetae proponenda fuisse argumenta, ex quibus unum sibi illustrandum deligeret. Contra in altero hymno aptissime hos versus legi ante v. 29 (207), praesertim quod veteres poetae epici numerum ternarium et orationem tripartitam quum alias, tum in exemplis afferendis adamasse videantur, ut optionem darent eligendi, sicut factum sit Il. *E* 381 sqq., Od. ε 116 sqq., hymn. in Ven. Hom. 200 sqq. At quamvis ingeniose haec sint excogitata, tamen non tantum illam valere existimo legem, ut nunquam ab ea scriptori recedere liceat. Saepissime quidem poetae et accommodatissime ita orationem suam conformaverunt, minime vero semper et necessario, si quidem Callimacho in Del. 30 sqq. idem atque nostro placuit, quod exemplum eo gravius esse videtur, quod hymnos Homericos in sinu gestasse Callimachum multis indiciis apparet. Itaque hoc quidem loco connexum sententiarum me iudice Spiessius bene perspexit: „Welches Loblied soll ich erheben von dir u. s. w. Ich soll doch wohl deine Geburt auf Delos besingen; denn von dort hat deine Herrschaft sich über alle Menschen ausgebreitet.“ Sed etiamsi plura argumenta Schneidewino concedamus fuisse proponenda, tamen non efficitur, ut versus nostri ex altero in Apollinem hymno huc migraverint; sed potius inter versum 19. et vss. 25—28 excidisse aliquid licet suspicari. Quam ob rem si plura exempla poetam afferre re vera necesse esset, cum Kieselio sentire

[1]) Schneidew. l. c. p. 15 sq. 26 sqq.

mallem eo tamen diversus, quod ad explendam lacunam versibus 22—24 non uterer. Dicit enim Kieselius: „Lacunam ante v. 22 statuamus oportet. Poeta enim varia sibi argumenta proposita esse fingit, ex quibus unum sibi illustrandum deligat, quod alterius etiam hymni scriptor fecit vv. 207—215, qui priorem imitatus videtur; idque argumentum, in quo elaboraturus est, extremo loco posuit, quo facilius ad rem ipsam transiret. Nos autem v. 25 hoc extremum videmus commemorari et voce ἤ ad priora adiungi, sed ipsa illa priora argumenta desunt.“ [1]) Ceterum in prima interrogatione non ἤ, sed ἦ Schneidewino scribendum fuisse G. Hermannus in censura libelli Schneidew. rectissime monuit. [2]) Summa igitur nostrae de his vss. disputationis haec est: sive post v. 19 aliquid excidisse statues sive lacuna opus non esse, vv. 25—28 utique servandi sunt.

§. 9.

De vss. 29—46.

Prima de hac carminis parte quaestio haec est, utrum vv. 29, 30 inter se cohaerere statuamus necne. Illud sibi persuaserunt imprimis Ilgenius, A. Matthiae, Frankius, Kieselius, ex quibus primus [3]) F. C. Matthiaeum falso versum 45 quasi ad v. 30 referendum accipere dicit, quia ὅσσους et τόσσον sibi invicem respondere nequeant. At quod τόσσον, non τόσσους legitur, eo minus offendit, quo facilius poeta, quomodo longam illorum locorum enumerationem exorsus esset, oblivisci poterat. Ceterum in sententiarum connexu esse quo quis offenderetur, Ilgenius non sensisse videtur. A. Matthiae deinde eandem atque Ilgenius constructionem amplexus hoc modo progressum sententiae explicare cona-

[1]) Kieselius l. c. p. 38.

[2]) G. Herm. in Iahnii Ann. l. c. p. 134 sqq.

[3]) Ilgenius h H, p. 205 sq.

tur[1]): „In Delo ortus omnibus hominibus et terris imperas (quae deinceps usque ad v. 45 enumerantur); eas enim Latona ante partum obiit orans, ut cultum tuum reciperent. Scilicet hae ipsae insulae, quas Latona adiit, cultum Apollinis postea receperunt.“ At neque illud „enim“ e verbis poetae erui potest neque ulla ratione comprobari, omnibus locis, qui a parturiente Latona obiti dicuntur, praecipuum fuisse Apollinis cultum.[2]) In eadem coniectura Frankii disputatio omnis nititur: „Poeta“, inquit, „quum ab enumeratione illorum locorum transitum ad narrandum Apollinis natum repetiisset, facile induci potuit, ut sic pergeret v. 45, quasi v. 29 non Apollinem illis locis imperare, sed Latonam illos adiisse dixisset. Quae ratio excusationem in eo habet, quod perinde erat, utrum illi loci aditi a Latona an Apollinis imperio subiecti dicerentur.“ At etiamsi illam Matthiaei coniecturam veram esse concedamus, tamen talis sententiarum progressus nonnihil habet miri et asciti, quo factum est, ut Kieselius[3]) ad furorem quendam confugeret, quo abreptus poeta ab enumeratione locorum Apollini sacrorum subito ad Latonae parturientis cogitationem declinaret. Sed talem furorem ab hymni nostri auctore prorsus esse alienum carmen totum a primo versu usque ad ultimum satis superque ostendit; quam ob rem G. Hermannum unice verum vidisse rectissime iudicabis. „Quis hic ordo narrationis est,“ inquit[4]) Hermannus, „*ἔνθεν ἀπορνύμενος πᾶσιν θνητοῖσιν ἀνάσσεις, ὅσσους Κρήτη ἐντὸς ἔχει* et aliae urbes: *τόσσον ἔπ᾽ ὠδίνουσα ἑκηβόλον ἵκετο Λητώ*? Frustra excusantur, quae mori epicorum prorsus repugnant. Itaque, ut olim iam faciendum dixeram, lacunae signum (post v. 29) posui. Poeta haec sic retulerat: Latona, Apol-

---

1) A. Matthiae animadvv. p. 18 cf. 113 sq., 118.

2) Infra uberius de hac re disseram.

3) Kieselius l. c. p. 44.

4) G. Herm. h. H. p. 6.

linem paritura, adit *ὅσσους Κρήτη κ. τ. λ.* Enumeratis illis urbibus, ut apte continuaretur oratio, repetiit ea, quae tot interiectis versibus e memoria auditoribus elabi potuerunt: *τόσσον ἔπ' ὠδ. ἐκ. ἵκ. Λητ.*" Quodsi Schneidewinus, Hermanni iudicio vehementer comprobato, in dubio vult [1]) relictum, utrum v. 29 a seriori poeta infeliciter illatus sit, ut aliqua ex parte lacuna operiretur, an versum 28 statim ab initio subsecutus: quum satis commode cum antecedentibus cohaereat causam exhibens, de qua deum in Delo natum poeta celebrare instituerit, equidem non video, cur suo loco eum moveamus.

Contra haec Schneidewini sententia valde mihi arridet, versibus istis deperditis a poeta Iovis cum Latona consuetudinem esse descriptam et quomodo sub pariendi tempus Iunonis ira Latonam exagitaverit, donec post longos errores tandem Delus miserata vagantem reciperet. Incommode vero idem Callimachi confert in Delum versus 55 sq., ubi insula laudatur, quod Iunonis iram non timuerit; namque in nostro hymno ceterae terrae et insulae non ob Iunonis iram renuisse dicuntur, sed verentes, ne Apollini situ ac solo minus idoneo uti viderentur. [2])

Iam de ipsa locorum enumeratione A. Matthiae sententiam aperuit, quam silentio non licet praeterire. „Hae ipsae insulae, quas Latona adiit, cultum Apollinis postea receperunt, ac videtur poeta in primis nominasse eas, quae deinde *θεωρίας* vel sacras legationes ad sacra Deliaca peragenda mittere solerent. Nam erat ille conventus Deliacus *τῶν Ἰώνων τε καὶ περικτιόνων νησιωτῶν* sec. Thucyd. III, 104." [3]) Hoc igitur iudicium amplexi ex eo tempore hymnorum Homericorum interpretes quum omnes tum Schierenbergius et Baumeisterus magnam operam et laborem frustra

---

[1]) Schneidew. l. c. p. 16.

[2]) Ad hanc rem infra redibimus.

[3]) A. Matthiae l. c. p 18 sq. cf. 114.

consumpserunt in conquirendis testimoniis, rationibus, indiciis, ex quibus efficeretur, in omnibus illis urbibus, insulis, montibus vere viguisse cultum Apollinis. Namque post diligentissimas investigationes Schierenbergius fateri coactus est,[1]) Athonem, Pelionem, Mimantem, Corycum montes esse excipiendos neque dubitandum, quin Lemnus atque Imbrus, ut quae adhuc Darii Hystaspis aetate a Pelasgis incolerentur, nunquam sacras legationes in Delum miserint. Cuius studia qui excepit ac persecutus est Baumeisterus et ipse „eo pervenit, ut intellegeret, nondum omnia ad liquidum perduci posse.“ [2]) Et profecto argumenta ab eo allata magnam partem satis infirma sunt. Montes enim illos quod vicem tenere contendit urbium vicinarum, ubi Apollinem in honore fuisse constet, ad Athonem certe hoc non pertinet, ne dicam, qua de causa montes pro urbibus vicinis nominentur, mihi quidem minus esse perspicuum. Tum de Imbro et Lemno necnon de Samothracia ad E. Curtii de Ionibus disputationem p. 23 sqq. confugere cogitur, qui iam belli Troiani tempestate Iones has insulas incoluisse coniectura colligit. Huc adde quod ne de situ quidem quorundam, quos poeta attulit, locorum quidquam affirmare possumus. Sed longum est omnia persequi; ipse Baumeisterus rationibus a se allatis tantum confidit, ut „non magnopere reluctetur, si quis versum 36 interpolatum iudicet, praesertim quum iustus ordo, quo poeta utatur in hac enumeratione, aperte eo violetur.“ At iustus ille ordo facillime potest restitui commutatis versibus 35, 36, quod si cui non satisfaciat, in promptu est versuum ordinem sic constituere: 33, 36, 34, 37, 35. Eadem causa, neglectum dico ordinem iustum, eum impellit, ut vocem Σκῦρος v. 35 suspicetur esse corruptam, pro qua facili opera post Idam Χρύση possit substitui; at quis Latonam a Chryse insula profectam statim Phocaeam adiisse

[1]) Schierenbergius l. c. p. 17.

[2]) Baumeisterus h. H. p. 123 sqq.

credat? Denique versum 30. eiiciendum censet ob id solum, quod Aegas ignoremus situ ad ordinem a poeta delectum accommodato. Sed ex omnibus his argumentis nullum mihi persuasit, ut unum versum spurium aut unum nomen corruptum esse iudicarem. Etenim primum apud scriptores veteres et maxime in carminibus antiquissimis multa occurrunt nomina urbium et insularum, imprimis parvarum, de quarum situ et condicionibus nihil memoriae proditum est; deinde ordo geographicus ut accuratissime servetur a poeta non licet postulare et graviter in nostris versibus uno tantum loco violatur atque ita, ut simplici duorum versuum commutatione possit restitui; denique omnibus illis, quas Latona adiit, urbibus et regionibus sacra Apollinis exstitisse, vereor, ne non re, sed opinione ductus Matthiaeus finxerit. Poeta enim potuit ille quidem praecipuam illorum locorum habere rationem; sed re vera eum hoc fecisse aut commode fuisse facturum, ne dicam facere oportuisse, nemo mihi persuadebit. Immo praesumptis opinionibus non ductus sine dubio regiones invenies ab Apollinis cultu alienissimas; quam ob rem qui Matthiaei coniectura temere probata eo procedit, ut versus manifesto illi repugnantes eiicere conetur, prorsus temerarie agit, praesertim quum verisimile sit Matthiaeum nunquam opinionem istam propositurum fuisse, nisi versum 29., quo Apollo omnibus hominibus imperare dicitur, artissime cum vss. 30 sqq. cohaerere falso iudicasset. Sed de hac re iam supra disputatum est; nostris vero versibus hoc solum poeta mihi dicere videtur, instante partu Latonam Iunonis ira atque invidia per cunctas maris Aegaei oras et insulas exagitatam tandem ad Delum pervenisse, quo omnes quasi radii istius circuli, qui efficitur locis supra enumeratis, tamquam in centrum conveniunt. Ex insulis autem atque in ora maritima non eos potissimum mea quidem sententia locos poeta nominavit, qui postea cultum Apollinis receperunt, sed qui vel situ vel opibus vel alia de causa antiquis illis temporibus maxime erant memorabiles;

ex quo efficitur, ut pro hac illave insula aut urbe eodem iure aliam nominare potuerit. Cur hasce potissimum elegisset, sine dubio iam aequales ignorabant; nos tam immenso temporis spatio interiecto poetae rationes afferre velle ridiculum et arrogans esse videtur.

§. 10.

De vss. 47—60.

Ex his versibus primum v. 48 eiecerunt Groddeckius et Ilgenius; „valde enim friget, nec est quod dubites, quin a rhapsodo assutus vel grammatici cuiuspiam glossa sit, qua illud *ἔτλη* v. 47 explicatum dare voluerit. Nam *ἔτλη* iam habet ex v. 46 *οἰκία θέσθαι*, ad quod referatur, et *πιοτέρη περ ἐοῦσα* ex vss. 60 et 72 haustum, quod hoc loco, quia nescit lector quae sequantur, male legitur.“ [1]) At frigere hunc versum aut intellegi nequire non iudicassent viri docti, si causam timoris omnibus unam vidissent hoc versu indicari, quae uberius explicaretur oratione Deli insulae versibus 66—73. Metuisse illas terras etiam fertiliores dicit poeta, ne tenuius steriliusque solum haberent, quam quo Apollo videretur contentus fore.

Maius negotium facessit v. 59, quem omnes, qui in hymnis Homericis elaboraverunt, viri docti aut eiecerunt aut ferro atque igne sanare conati sunt. Librorum scripturam: *δηρὸν ἄναξ εἰ βόσκοις θεοί κέ σ᾽ἔχωσιν* DF.; *δηρὸν ἄνακτ᾽ εἰ βόσκοις* omissis ceteris A B C (*ἄναξ* et *βόσκεις*); *δηρὸν ἄναξ εἰ βόσκοις . . . . σ᾽ ἔχωσιν* L. Baumeisterus postquam attulit, prudenter monet versum iam in eo codice, ex quo nostri libri omnes deriventur, misere corruptum fuisse, ut ostendant variae lectiones, ex quibus tamen hoc solum efficiatur, ultima verba tam depravata et exstincta fuisse, ut legi ab eo, qui Parisinorum librorum fontem de-

---

[1]) Groddeck. comment. p. 77; Ilgen. h. H. p. 206.

rivaverit, plane non potuerint, Itali autem, aetate ut videatur priores, (DFL) divinando incerta litterarum presserint vestigia.[1]) H. Stephanus primus edidit, ex codice incertum an e coniectura: *δηρὸν ἄνακτ' εἰ βόσκοις, οἵ τε θεοί κέ σ' ἔχωσιν,* eumque secuti sunt proximi editores praeter Barnesium, qui coniectura collegit: *εἰ βόσκῃς σὸν ἄνακτα· θεοί κέ σε δηρὸν ἔχωσι.* At his remediis metro quidem satisfactum est, sed sensus laborat. Namque primum *ἔχειν τινὰ χειρὸς ἀπ' ἀλλοτρίης* neque cum nutriendi neque cum defendendi[2]) significatione Graece dici potest; tum et locutio *ἄνακτα βόσκειν* vix ita apud bonum scriptorem obvia, et insula *κραναήπεδος* potius a deo dicenda fuit nutriri, quam deus ab insula. Deinde postquam praecessit *εἰ γάρ κ' ἐθέλοις κ. τ. λ.* vel quo illud repetitur: *αἰ δέ κ' Ἀπόλλωνος κ. τ. λ.*, alteram propositionem condicionalem subiici non licuit, quoniam una illa condicione accepta iam Apollo dicendus erat Delum semper in honore esse habiturus; denique nec *δηρὸν αἰεί* nec vox *θεοί* ferenda, ubi de uno Apolline sermo est. Vel ex his quae modo proposuimus argumentis apparet, cur neque Buttmanni[3]): *δηρὸν ἄναξ βόσκοι σε, θεοὶ δέ κε μηρί' ἔχωσιν* neque Hermanni[4]) coniectura: *δηρὸν ἄναξ βόσκοι σε, θεοὶ δέ κέ σ' αἰὲν ἔχωσιν* efficax remedium esse videatur.

Ceterum Hermannus vv. 59, 60 non ab eo poeta factos esse censet, qui primus hunc hymnum condiderit, sed a vetere illo interpolatore, quem sibi deprehendisse visus est, in locum versuum 57, 58 substitutos. Contra Schierenbergius[5]) vv. 59, 60, quomodo Hermannus eos restituit, versum 52 sequi iubet non perspecta forma orationis vere Homerica,

---

[1]) Cf. Baumeist. h. H. p. 5; 130 sq.

[2]) Posterius hoc excogitavit Frankius falsa versus 64 explicatione inductus; de qua re vide Schneidew. l. c. p. 18 sq.

[3]) Cf. Buttmanni Lexilog. II. p. 52.

[4]) Herm. in Ep. ad Ilg. p. XXV.

[5]) Schierenbergius l. c. p. 21.

de qua vide Baumeisterum[1]). Sed propterea quod multi viri docti frustra conati sunt versum refingere, cave ne cum Ilgenio[2]) et Matthiaeo[3]) genuinum eum esse neges, ex quorum sententia prior versus pars *δηρὸν ἄνακτ᾽ εἰ βόσκοις* a grammatico in margine adscriptus est aut versui 56 ad variandam dictionem aut versui 58, ut causa redderetur, cur *κνίσση ἄσπετος αἰεὶ* futura esset Delo; quo facto alius quidam versum explevit, ut sententiam cum subsequentibus connecteret. Itaque probante Spiessio[4]) ac postea et ipso Hermanno[5]) Matthiae hoc modo locum explicat: *κνίσση τοι ἄσπετος αἰεὶ* (*ἔσται*) *χειρὸς ἀπ᾽ ἀλλοτρίης* i. e. erit tibi semper nidor eximius a manu hominum peregrinorum, quia pingui et fertili solo cares, quo ipsa fruges illas subministrare posses. At Graece dici nequit *κνίσση ἐστί τινι ἀπ᾽ ἀλλοτρίας χειρός*, et grammaticos plus quam stultos sibi fingere recte monet Baumeisterus, qui ea quae legimus omni intellectu destituta illis tribuat. Rectam viam primus ingressus est Schneidewinus[6]) ingeniosissime coniiciens: *βωμοῦ ἀναΐξει, βόσκοις δέ κε δῆμον ἅπαντα*, quem secuti Bergkius[7]), Stollius[8]), Baumeisterus[9]) similia invenerunt. Sed propius imprimis in posteriore versus parte ad librorum illud: *δηρὸν ἄναξ εἰ βόσκοις θεοί κέ σ᾽ ἔχωσιν* accedendum esse ratus poetam scripsisse suspicor:

κνίσση δέ τοι ἄσπετος αἰεὶ
δημοῦ ἀναΐξει, βόσκοις δέ κεν οἵ σέ γ᾽ ἔχωσιν
χειρὸς ἀπ᾽ ἀλλοτρ.

---

[1]) Baumeist. h. H. p. 129.
[2]) Ilgen. l. c. p. 208 sq.
[3]) A. Matth. animadverss. p. 121 sq.
[4]) Spiessius in progr. Duisburg p. 5.
[5]) Hermannus in Iahn. ann. l. c. p. 134.
[6]) Schneidewinus l. c. p. 19 sq.
[7]) Bergkius in Diar. liter. Hall. 1849 n. 233.
[8]) Stollius in Iahnii ann. vol. 79 p. 319.
[9]) Baumeister. l. c. p. 131.

sive malis:

δημοῦ ἀναΐξει, βοσκήσεις θ' οἵ κέ σ' ἔχωσιν

ut sensus sit: nidor autem tibi eximius semper ex omento surget, nutriesque (eos), qui te incolent, manu aliena cet.

§. 11.

De vss. 61—139.

Versum 73. G. Hermannus uncis inclusit, quum v. 72. cum edd. vett. legeret *ἀτιμήσῃ*, qua sane forma vincula orationis abrumpuntur, nisi cum Ilgenio, A. Matthiaeo, aliis H. Stephanum secutus *δὲ* post *ὤσῃ* velis inserere. Sed neutra ratio videtur esse probanda; nam si particula excidit, certe non post, sed ante illam vocem erat inserenda, et Hermannus prorsus incaute egit, quoniam eiecto v. 73 subsequentia omni intellectu destituta sunt. Immo rectissime Baumeisterus vulgatam *ἀτιμήσῃ*[1]) in Parisinis, qui *ἀτιμήσας* praebent, prudentem correctorem nactam esse iudicavit, neque cum Frankio timendum, ne recepta hac lectione res primaria participio sit expressa, si quidem non *τὸ ἀτιμῆσαι* rem primariam oportet habere, sed *τὸ ὦσαι ἁλὸς ἐν πελάγεσσιν*. Ceterum locutionem *ποσσὶ καταστρέψας* neminem cum Matthiaeo ita perversurum confido, ut intellegat: cum ipsis radicibus i. e. funditus evertens, sed cum Schierenbergio illud Horatii in animum revocaturum: „iniurioso ne pede proruas stantem columnam.“ [2])

Versum 78. codd. Paris. insigni varietate ita exhibent:

οἰκία ποιήσονται ἕκαστά τε φῦλα νεπούδων

quod iure nullus editorum in textum recepit. Nam quum ante Alexandrinorum aetatem vocabulum *νέποδες* nusquam ita absolute positum occurrat et apud Homerum Od. δ' 407 vocentur *φῶκαι νέποδες καλῆς Ἁλοσύδνης*, cum Matthiaeo [3])

---

[1]) Itali exhibent ἀτιμήσω.

[2]) Horat. carm. 1, 35, 14.

[3]) A. Matth. animadvv. p. 124 sq.

hanc varietatem ad antecedentem versum spectare censeo et comparationis causa in margine esse appictam, unde postea loco alienissimo in textum irrepserit. Accedit quod suo iure Baumeisterus formam *νεπούδων* barbarum monstrum appellat, cui ex omni antiquitate nullum possit exemplum succurrere. Contra vulgata omnino bene se habet neque in voce *ἀκηδέα* offendendum, quam cave ne cum Ruhnkenio et Spiessio adverbialiter accipias pro *ἀκηδῶς*, secure, aut cum *οἰκία* ita coniungas, ut sive secundum Matthiaeum domus neglectae significentur, sive, quod Ilgenio placuit, per figuram ad domos transtulisse poetam credas, quod de phocis ipsis fuerit dicendum. Nil opus est his ambagibus, si quidem *ἀκηδής* etiam active de iis usurpatur, qui cura vacant, ut et sit s e c u r u s et t u t u s; tutae igitur latebrae hic sunt intellegendae.

Post v. 81. necessitate haud urgente lacunae signa posuit G. Hermannus. „Nam *πάντας ἐπ' ἀνθρώπους*“, inquit,[1] „sic intellegere, ut oraculum dicatur omnium hominum commune fore, ineptum est praegressis verbis *ἔμμεναι ἀνθρώπων χρηστήριον*. Apollo autem si putaretur iuberi, condito oraculo alias gentes invisere, non solum omissio verbi *ἴτω* prorsus ab Homerico usu abhorreret, sed perabsurde etiam diceretur *πάντας ἐπ' ἀνθρώπους*. Id Homerus vel eius imitator dixisset: *ὅππῃ μιν κραδίῃ θυμός τε κελεύει*, ut Il. XIII. 784. Od. XIV 517. XV 338. XVI 81. XXI 342. Itaque huiusmodi sententiam excidisse puto: „ac deinde Apollinis claritatem fama perventuram esse ad omnes homines.“ Hanc suspicionem firmat similis locus Il. X 212 (v. etiam Od. I 298):

„*μέγα κέν οἱ ὑπουράνιον κλέος εἴη*
πάντας ἐπ' ἀνθρώπους.“

Hermanni rationem Wolfius comprobavit. At haec omnia non videntur esse tam gravia, ut lacunam cogant statuere,

---

[1]) G. Herm. h. H. p. 11.

quum ex notissima brachylogia sermonis Graeci ad πάντας ἐπ' ἀνθρώπους facile subaudiatur ex proximis νηοὺς τεύξειν neque in verbis πάντας ἐπ' ἀνθρώπους offendere patiantur exempla ab ipso Hermanno ex Iliade et Odyssea petita, ad quae addere possis ξ 403, ψ 125. Accedit quod sententia ab Hermanno desiderata minus probabilis esse videtur, quod infra non fama Apollinis, sed ipse deus dicitur ad omnes homines pervenire; denique in his carminibus, quae sunt posterioris aetatis quam Ilias et Odyssea, non licet omnia ad illarum normam exigere.

Versum 96 interpretes inde a Groddeckio omnes iure eiecerunt, quorum iudicium confirmat codex Moscoviensis, a quo hic versus abest. Etenim et loco quo legitur omni sensu caret, et qui uno interiecto sequitur, est simillimus. Inde nemo non videt alterum utrum ab interpolatore propter similitudinem ex alio poeta esse appictum, et quamquam per se prorsus incertum videtur, uter utrius varia sit lectio, tamen, quum v. 98 suo loco moveri nequeat, uncis includi debuit is, qui non eo loco quo debebat legitur.

Versum 123 Ilgenius grammatici esse partum existimavit, primum quod Homerus non formam χρυσάωρ usurpet, sed χρυσάορος, deinde quod θήσατο Graece non dicatur de matribus mammas praebentibus, sed de infantibus sugentibus. Utrumque verum illud quidem est, sed non debebat adeo offensioni esse Ilgenio, ut totum versum pro spurio haberet. Namque si in his carminibus omnia tollenda aut mutanda censeremus, quae Homerico usui adversantur, profecto nil esset reliquum, ex quo de aetate aut auctore coniecturam facere possemus.[1])

Idem cum Matthiaeo Directore versum 126 repetitum esse iudicat ex v. 13 et omnino proscribendum; satis iam esse in versu praecedente χαῖρε δὲ Λητώ, quocum confert

---

[1]) Ceterum cf. Baumeister. l. c. p. 137.

b. H. in Cer. 232; Il. *N*. 493; Od. ζ 106; ϑ 383; ν 104. At omnes hi loci certe eo differunt, ut semper ex praecedentibus causa clare appareat, cur aliquis gaudeat, quod contra est hoc loco. Itaque rectius versum 13 eiecisset, ad quem magis pertinent exempla ex Homero allata.

Versum 129 A. Matthiaeus non dubitavit tamquam spurium et praecedentia tantum oratione variata repetentem uncinis includere; qua tamen lege sancita quam multi Iliadis et Odysseae versus essent delendi!

Contra vera interpolatio deprehenditur in vss. 135—139. Nam quum v. 139 nulla re cum praecedentibus cohaereat et versibus 135 sqq. post v. 139 collocatis, quod experimentum Ilgenio et Bothio placuit, pro *βεβρίϑει* requiratur *βέβριϑεν* atque insuper languida fluat oratio, variis lectionibus conflatum esse locum nostrum necesse est statuamus. Itaque quaeritur, utrum vv. 136—138 antiquioris poetae sint, an v. 139, qui illis eiectis bene coit cum v. 135. Ruhnkenius [1]) igitur, F. C. Matthiae, Ilgenius versum 139 eiecerunt servatis tribus antecedentibus; ceteris interpretibus iure secus visum est. Primum enim vv. 136—138 exstant illi quidem in editione prima, sed omittuntur in omnibus libris manuscriptis, ex quibus soli Itali eos in margine exhibent. Deinde quamquam non in illis magis quam in v. 139 vox occurrat aut constructio, quae non apud ipsum Homerum inveniatur, tamen ad virtutes poeticas quod attinet, tres illi versus prae subsequenti male languent et verbis et sententiis, maxime autem inficeto isto additamento *φίλησε δὲ κηρόϑι μᾶλλον*. Quam ob rem amplificationis causa ad v. 139 appictos eos esse censeo ab homine serioris aetatis, quem Alexandrinorum poetarum tumor verborum atque pompa tantopere delectaverit, ut frigida ac ieiuna ei esse videretur oratio simplex et nativa. [2])

---

[1]) Initio ille quidem, postea mutavit sententiam.

[2]) Cf. Schneidew. l. c. p. 20 sqq.

§. 12.

De vss. 140—178.

Primum adnotandum esse videtur, totam hanc partem ab hymno nostro abiudicasse F. C. Matthiaeum[1]) ut novum fragmentum, quod quidem ex hymno in Apollinem Delium condito sit desumptum, sed ex eo, qui ad annuam insulae sollennitatem pertineret. At quum novum hoc fragmentum et verbis et argumento artissime cum praegressis cohaereat, tali seiunctione opus non esse ceteri interpretes omnes recte iudicarunt. An quid potest cogitari „magis accommodatum ad hymni, Apollinis in Delo insula natales celebrantis, argumentum, quam illa a versu inde 146 sacrorum Deliacorum facta descriptio, praesertim quum ipse hic hymnus in illorum sacrorum usum compositus videatur?“ [2]) Accedit quod ex ipsa hac carminis nostri parte versus 146—150, deinde 165 – 172 diserte laudat Thucydides III 104 ut hymni in Apollinem Homerici, insigni tamen lectionis varietate, quam Baumeisterus ita explicare conatur, ut rerum scriptorem exemplar ante oculos habuisse statuat a nostrorum codicum fonte compluribus locis diversum. Etenim „in hoc hymno hunc vel illum rhapsodum pro sua ratione aliquid mutasse credibile est. Cavendum autem est diligenter, ne hanc diversitatem alii tribuamus quam dicunt recensioni a docto quodam homine ratione et iudicio institutae; cavendum etiam diligentius, ne lectiones Thucydideas in carmen hoc temere recipiamus.“ [3])

E singulis versibus primi impugnantur vv. 151. 152, quos Florent. et Ald. et omnes reliquae editt. usque ad Ernest. sic exhibent:

φαίη κ' ἀθανάτους καὶ ἀγήρως ἔμμεναι ἀνὴρ
οἵ τότ' ἐπαντία σεῖο τ' Ἰάονες ἀθρόοι εἶεν.

---

[1]) F. C. Matthiae l. c. p. 132 sq.

[2]) Ita frater illius iudicat A. Matthiae l. c. p. 17. cf. Groddeck. comm. p. 31. — [3]) Cf. Baumeist. h. H. p. 141.

Sed quum codices A B C M pro *ἀνὴρ* praebeant *αἰεί*, quod ne dicas abundare cf. *M* 323, ab eo *αἰεί* in *ἀνήρ* mutatum esse apparet, qui subiectum ab enuntiato abesse sibi persuaserit. Contra quod pro *ἀθανάτους* M habet *ἀθάνατος*, iniuria hoc Bern. Martino[1]) placuit; namque eum, qui intervenisset, non se ipsum, sed illos, quos videret, immortales et senii expertes esse credere quin hoc loco poetae dicendum fuerit, causa non sinit dubitare versibus statim sequentibus allata: videt enim gratiam eorum per omne corpus diffusam cet. Itaque si vera sunt, quae modo disputavimus, v. 151 initio scriptum fuisse:

φαίη κ' ἀθανάτους καὶ ἀγήρως ἔμμεναι αἰεί,

efficitur, ut alter versus certe quomodo in libris legitur, ferri non possit.

Neque enim, qui *ἀθάνατοι καὶ ἀγήραοι* putandi essent, hoc loco definiri oportebat, sed quis tali eos nomine dignos esset habiturus;[2]) neque quidquam proficit Ruhnkenii coniectura *φαίης*; nam aut de Apolline intellegi posset proximis versibus invocato — at ineptum foret a deo Iones deos putari — aut impersonaliter accipi — at vetant formae subsequentes *ἴδοιτο* et *τέρψαιτο*. Itaque nihil restat nisi ut versum 152 aut eiiciamus aut emendando ita restituamus ut et verbis et sententia praegressis accommodatior sit. Illud fecerunt Groddeckius et A. Matthiaeus offensi „sententia valde frigida atque elumbi et dictione molesta ac languida"; at quid tum verbo *φαίη* v. 151 faciamus, cui subiectum requiritur? Nam sublato v. 152 pro *αἰεὶ* non licet restituere vocabulum *ἀνήρ*, ut quod accuratius definiri oporteat, neque cum Matthiaeo illud *φαίη* ita defendere, ut *τὶς* subintellegatur, sicut Il. *N* 287; Soph. Oed. T. 315. Ex

---

[1]) Martini Varr. Lectt. Lutetiae Parisiorum 1605. III 25.

[2]) Nil refert αἰεὶ legas an ἀνήρ, quoniam ἀνήρ non minus eget descriptione accuratiori.

neutro enim exemplo quidquam efficitur, quum locus noster eo differat, ut participium (*εἰςορόων* v. 153) subsequatur ad omissum subiectum enunciati referendum. Itaque sola superest altera ratio et cum Martino, quem laudant Ilgenius, Hermannus, alii, scribendum facili mutatione:

ὅς τότ' ἐπαντιάσει', ὅτ' Ἰάονες ἀθρόοι εἶεν,

qua recepta in priore versu iam *ἀνήρ* pro *αἰεί* legi potest. Simillimam sententiae conformationem habes Od. *α* 228 sq.

νεμεσσήσαιτό κεν ἀνὴρ
αἴσχεα πόλλ' ὁρόων, ὅστις πινυτός γε μετέλθοι.

Maior etiam inter viros doctos de vss. 173—176 exorta est contentio, e quibus primus

τοῦ πᾶσαι μετόπισθεν ἀριστεύουσιν ἀοιδαί

vehementissime improbatur et compluribus de causis. Primum enim Ilgenio, A. Matthiaeo, Spiessio, Baumeistero, aliis assentientibus vix praeteriturum fuisse Thucydidem iudicat Ruhnkenius[1]) haec verba tamquam ad Homerum pertinentia, si in exemplaribus, quibus tum utebantur, essent reperta.

Verba Thucydidis haec sunt:[2]) *ὅτι δὲ καὶ μουσικῆς ἀγὼν ἦν καὶ ἀγωνιούμενοι ἐφοίτων, ἐν τοῖςδε αὖ δηλοῖ* (*Ὅμηρος*), *ἅ ἐστιν ἐκ τοῦ αὐτοῦ προοιμίου· τὸν γὰρ Δηλιακὸν χορὸν τῶν γυναικῶν ὑμνήσας ἐτελεύτα τοῦ ἐπαίνου ἐς τάδε τὰ ἔπη, ἐν οἷς καὶ ἑαυτοῦ ἐπεμνήσθη· Ἀλλ' ἄγεθ' ἱλήκοι κ. τ. λ.* (sequuntur vv. 165—172). Sed illud *ἐτελεύτα ἐς τάδε τὰ ἔπη* quum non ita premi liceat, ut ne unum quidem versum ad eos, quos laudavit, poetam addidisse dicat rerum scriptor, hoc solum quaerendum videtur, utrum versus, quem omisit, ea, quae volebat demonstrare, probaturus fuerit necne. Dissentiunt in hac re viri summi Hermannus et Baumeisterus, ex quibus ille brevitatis studiosum Thucydidem iure omisisse versum arbitratur; „videbat enim, id quod iudicavit

---

[1]) Ruhnk. Ep. Crit. I. l. c. p. 97.

[2]) Thuc. III. 104.

rectissime, eo versu non dici de certamine musico, de quo ipse disserebat, sed generatim poetam laudari." [1]) Contra quod Baumeisterus Ruhnkenio vehementer comprobato haec disputat: „si demonstraturus erat Thucydides, certamen musicum fuisse, id non tam ex illis, quos dedit, versibus elucet, quam ex his, quos omisit; *ἀριστεύειν* enim utique ad certamen musicum referendum." [2]) At ipsa haec sententia argumentis ei erat confirmanda, praesertim quum usus Homericus satis superque ostendat, non de certamine solum adhiberi illud verbum, sed omnino significare *εἶναι ἄριστον*. Sin autem v. 173 hoc tantum continetur: „cuius carmina praestantissima sunt", summo iure Hermannus merito a rerum scriptore eum omissum esse iudicat. Ceterum ipse Baumeisterus versum nostrum non interpolatori attribuit, sed ea re sola ab Hermanno differt, quod Thucydidis librarios omittendo peccasse opinatur. Neque vero gravius argumentum duci potest e verbis Aristidis, ut qui locum nostrum haud dubie e solo Thucydide cognitum circumscribat.[3]) At alia etiam Ruhnkenium in versu nostro offenderunt: „quale", exclamat, „istud est: *ἀριστεύουσιν ἀοιδαί*. Tua te lingua prodit, o bone. Digna haec sunt Nonni aetate, non Homeri." Sed quamquam verum est, *ἀριστεύειν* apud Homerum non legi nisi de hominibus usurpatum, tamen, quum Pindarus dixerit: *ἀριστεύει ὕδωρ* [4]), quod multo minus audacter dictum videtur, *ἀριστεύουσιν ἀοιδαί*, verisimillimum est iam permultis ante Pindarum annis dici potuisse; parum enim interest, utrum poetae *ἀοιδαὶ* dicantur *ἀριστεύειν* an poeta *ἀοιδαῖς* (quod posterius ad Homericum illud *βουλῇ ἀριστεύειν* proxime accedit). At nonne sententia ipsa male

---

[1]) Hermannus h. H. p. 18

[2]) Baumeist. l. c p. 143 sq.

[3]) Aristid. II. p. 409.

[4]) Pind. Ol. 3, 42.

se habet? nonne iure cum Schneidewino[1]) quispiam dixerit, ineptissime poetam epicum illius aetatis, qua innumerabilia carmina conderentur, de eximia suorum apud posteros laude cogitare? Immo vero hoc tam facit sine invidia, quam ubique similia dicunt Homerici heroes, et immortalem memoriam ac gloriam omnes omnium temporum poetae aequaliter sibi promiserunt. Quamquam versum, qualem libri eum exhibeant, ferri non posse libentes Schneidewino concedimus et ob vocem *πᾶσαι*, quae arrogantior est, et propter *μετόπισθεν* incommode cum tempore praesenti coniunctum, praesertim quum tota sententiae conformatio habeat, in quo offendaris; „quid enim attinet tempore praesenti plane neglecto poetam de sola posteritatis laude cogitare?“ [2]) Sed quod Schneidewinus suspicatus est:

τοῦ πᾶσιν μερόπεσσιν ἀριστεύουσιν ἀοιδαί,

merito non minus videtur offendere quam librorum *πᾶσαι ἀοιδαί*; contra omnes dubitationes removet Hermanni[3]) coniectura:

τοῦ περ καὶ μετόπισθεν ἀριστεύσουσιν ἀοιδαί.

Restat, ut de versibus 174—176 a Ruhnkenio, Ilgenio, A. Matthiaeo improbatis dicendum esse videatur. Eiusmodi enim omnes tres, maxime vero versum 176, affirmat esse Ruhnkenius, ut nemo, semel monitus, eos pro Homericis sit habiturus; quod tamen argumentum ipsi Matthiaeo minus certum esse videtur. Et re vera hi versus maximeque is, quem maxime vituperat Ruhnkenius, quamquam ad nostrum sensum parum venusti videntur, tamen eum habent antiquae simplicitatis colorem, ut praeter alios genuini iudicandi sint. Offenditur deinde Matthiae „valde in-

---

[1]) Schneidewinus l. c. p. 23 sq.

[2]) Cf. Baum. l. c.

[3]) Herm in Iahnii annall v. LII p. 135.

epta“ pronominum ἡμεῖς et ἐγὼ variatione, quam si Frankius ita excusare studet, ut ἡμεῖς ad familiam rhapsodorum velit pertinere, cum Ilgenio facit, qui in versibus nostris rhapsodorum additamentum sibi deprehendere visus est: „Non fraudulenter agunt rhapsodi, sed disertis verbis se auctori hymni opponunt; ubi enim praecessit: Quis cecinit hunc hymnum? Coecus vir, qui in Chio habitat, addunt: cuius cantus semper victoriam deportant (intell. in certaminibus musicis) et nos per eos gloriam vestram propagamus.“ [1]) At quomodo rhapsodi in eodem carmine nunc auctoris (dicentes ἐγώ), nunc ipsorum nomine (dicentes ἡμεῖς) canere potuerint, ut auditorum animi non perturbarentur, mihi quidem minus perspicuum est; immo magis etiam ineptam recte iudicabis pronominum variationem, si ἡμεῖς ad rhapsodos referatur. Sed variatione illa iam apud Homerum nihil usitatius; sufficit insignem ascribere locum Il. *N* 256 sqq., ubi haec Meriones Idomeneo respondet:

ἔρχομαι, εἴ τί τοι ἔγχος ἐνὶ κλισίῃσι λέλειπται,
οἰσόμενος· τό νυ γὰρ κατεάξαμεν, ὃ πρὶν ἔχεσκον,
ἀσπίδα Δηϊφόβοιο βαλὼν ὑπερηνορέοντος.

Accedit, quod nostro loco causa variationis afferri potest idonea; praegresso enim ὑμεῖς apte opponitur ἡμεῖς; insequens vero *αὐτὰρ ἐγὼν* sollennis est hymnorum Homericorum clausula.

Ex omnibus igitur, quae in altera hac dissertationis nostrae parte disputata sunt, efficitur, hymnum in Apollinem Delium, quomodo ab antiquo vate Chio primum conditus sit, constitisse his versibus: 1—13. 19. 25—29. (post v. 29 lacunam statuamus oportet). 30—95. 97—135. 139. 140—178.

---

[1]) Ilgen. h. H. p. 243.

Pars III.

De hymni elocutione in universum.

§. 13.

„Inter omnes Graecarum literarum peritos constat, contigisse Homero, ut Graeci omnis aevi poetae epici, ne recentissimis quidem exceptis, eius effigie et specie eximia animis penitus infixa, omnem poetici sermonis formam, cultum ac numerum ad illius exemplar componerent nec nisi vatis antiqui velut numine afflati canere viderentur." [1]) Quin etiam usque eo progrediebantur, ut et versus integros et locos insignes ex Homeri carminibus depromere in magna laude poneretur. Inde quum appareat, eo diligentius quemque principis poetarum pressisse vestigia, quo ipsi aetate fuerit propior, non est cur mireris, inter Homeri carmina et hymnos nostros quum omnes, tum maxime, qui iure antiquissimus perhibetur, hymnum Deliacum miram quandam intercedere similitudinem. Sed quamvis magnum esset illud studium orationis Homericae virtutes imitandi, tamen communi consuetudine sermonis procedente tempore magis magisque commutata fieri non potuit, ut omnem suae aetatis posteriores poetae notam abstergerent. Quam ob rem vehementer improbandi sunt haud pauci viri docti, qui in hymnis Homericis, ipsorum iudicio Iliade et Odyssea aetate longe inferioribus, tamen omnia ad illarum normam exigere perseverant.

---

[1]) Verba sunt Groddeckii l. c. p. 8.

Quamquam in contrarium peccare videtur Baumeisterus, quum hanc sibi legem scripsit[1]), ut, ubicunque codicum lectiones non a communi usu Graecae linguae recederent, religioni duceret correctionem adhibere; quotus enim quisque in carmine epico locutionem poetis tantummodo scenicis usitatam ferri posse arbitretur aut quae Nonni potius aetate digna esse videatur? Itaque neque hanc neque illam amplexi sententiam, quae apud poetas epicos florentis literarum aetatis non inveniantur, ea quidem librariorum culpa in textum venisse existimamus; sed quae ab Homeri solius dicendi consuetudine recedant, non corruptionis, sed diversi temporis esse indicia atque ad quaestionem de carminis aetate atque auctore instituendam documenta gravissima. Iam ad hymnum Deliacum quod attinet, auctoris nostri genus dicendi praeter ceteros ita proxime ad Homericam accedit elocutionem, ut longum sit omnia enumerare, quae poetarum principem secutus noster dixerit, eaque sola re carmen nostrum omnium hymnorum Homericorum antiquissimum esse recte colligatur. Ex quo quum efficiatur, ut ea tantum nobis et liceat et opus sit hoc loco componere, quae ab oratione Homerica abhorreant, primum vocabula, quibus Homerus aut nusquam aut alia significatione usus est, afferenda, deinde formis declinationum atque coniugationum, syntaxi, arte metrica quantum differat ab illo carmen nostrum, exponendum esse videatur. [2])

§. 14.

Haec hymni Deliaci vocabula apud Homerum non inveniuntur:

v. 3. ἐπισχεδόν, pro quo Homerus simpliciter σχεδόν

---

[1]) Cf. Baum. h. H. p. 128.

[2]) Illorum versuum, quos ab hymno nostro alienos esse supra ostendimus, in hac dissertationis parte merito nulla habetur ratio.

dicit, saepius occurrit apud diligentissimum Homeri imitatorem, Apollonium Rhodium cf. 2, 490. 604; 5, 948.

v. 6. *χαλᾶν* saepissime illud quidem apud poetas tragicos, semel apud Pindarum legitur (de aquila alas demittente P. 1, 6); sed de arcu, praeter hunc locum et h. H. in Dianam 12, a serioribus tantum poetis dictum est.

v. 19. *ὑμνέω* derivatum a voce *ὕμνος*, quam semel apud Homerum invenimus Od. 8, 429, recurrit infra 158, 178 cf. h. H. in Ap. P. 29; h. H. 8 (9), 1; primum legitur apud Hesiodum in Theog. 11. 33 saepius. — *εὔυμνος* vocabulum infrequens. cf. h. H. in Ap. P. 29 (207); Callim. Del. 4; Apoll. 31.

v. 28. *λιγύπνοιος*, pro quo Homerus de ventis simplices formas *λιγύς* et *λιγυρὸς* adhibet; uno loco (Od. 4, 567) legitur *λιγυπνείων*.

v. 46. *θέλειν* frustra corrigitur ab Hermanno ut epicorum usui prorsus repugnans; Homerum quidem forma bisyllaba nusquam usum esse hodie inter omnes constat[1]), sed recurrit eadem h. H. in Cer. 160 et apud Apoll. Rhod. 2, 960 idemque *θελήμων* habet 2, 556; 4, 1657.

v. 55. *τρύγη* apud Homerum non obvium; cf. *τρυγάω* Il. 18, 566; Od. 7, 124; *τρυγηφόρος* h. H. in Ap. P. 351 (529); *τρυγητήρ* Hes. Sc. 293.

v. 68. *πρυτανεύειν* verbum non modo Homero, sed omnibus ut videtur poetis epicis inusitatum, scite interpretatur Baumeisterus: „Prytanes, summi magistratus in plurimis Asiae urbibus Graecae originis, honorem et potestatem regalem habebant, qua non raro abusi tyrannidem affectabant. Hinc verbum cum *ἀτάσθαλος* consociatum „superbientem insolentiam" describit, congruitque hic locus cum vss. 1—13." [2]) Aliis locis *πρύτανις* simpliciter dominum vel praefectum significat cf. Stesich. fg. 45 Bergk. *πρύτανις ἀγορῆς καλλιχόρου*

---

[1]) Cf. Dammii Lexicon Homericum (ed. Rost) s. v. ἐθέλω.

[2]) Baumeist. l. c. p. 132.

de Apolline, Pind. Pyth. 6, 24 *βαρυόπαν στεροπᾶν κεραυνῶν τε πρύτανιν* (Iovem intell.); Pyth. 2, 58 *πρύτανι κύριε πολλᾶν ἀγυιᾶν καὶ στρατοῦ* (rex Hiero); Aesch. Prom. 169 *μακάρων πρύτανις* (Iuppiter); Eurip. Troad. 1288 *Κρόνιε πρύτανι.*

v. 73. *καταστρέφειν* primum legitur apud Aeschylum, sed alia significatione Pers. 773 *ποῖ καταστρέφεις λόγων τελευτήν* i. e. quo convertes? quum nostro loco sit „pedibus evertere."

v. 81. *χρηστήριον*, vocabulum apud Atticos frequentissimum, primum occurrit Hes. fg. 39, 6; cf. h. H. in Ap. P. 36, 81, 110.

v. 82. *πολυώνυμος* i. e. de quo plurima est fama, celeberrimus, ita primum legitur Hes. Theog. 785; cf. Pind. P. 1, 17; I. 4, 1; contra deum multis nominibus invocatum significat h. H. in Cer. 18, 32 atque saepissime apud poetas scenicos et Alexandrinos.

v. 91. *ἄελπτος*, pro quo Homerus *ἀελπής* (sive mavis *ἀελπτής*) dicit Od. 5, 408, primum legitur Archil. frgm. 30 et h. H. in Cer. 219, postea saepissime apud tragicos, sed ubique alio sensu atque nostro loco, ubi non id significat, quod non exspectatur, sed dolores tam graves, ut omnis spes abiiciatur.

v. 99. *φραδμοσύνη* vox ducta ab adiectivo *φράδμων*, quo semel Homerus usus est Il. 16, 638, apud Hesiodum saepius invenitur, sed numero tantum plurali cf. Theog. 626. 884. 891; singularem habet Apollon. Rhod. Arg. 2, 649.

v. 110. *ἀπὲκ* recurrit tantummodo apud Quintum Smyrnaeum 4. 540; quam ob rem de scripturae veritate dubitare possis. Ac monuit me F. V. Fritzschius, h. l. corrigendum esse: *ὑπέκ*, quod sane Homericum est. Ceterum confer Hom. Odyss. 2, 400.

v. 123. *χρυσάωρ* legitur Hes. O. 773; Pind. P. 5, 104; fg. 187; Homerus semper dixit *χρυσάορος*, quod legimus etiam h. H. in Cer. 4; h. H. 27, 3; alias.

v. 127. *καταβιβρώσκω* vocabulum apud poetas infrequens, Atticis prosae orationis scriptoribus usitatissimum.

v. 129. *δεσμά* h. H. in Merc. 157. 409; in Bacch. 13; Theocr. 30, 24, 41; apud tragicos; Homericae formae *δέσματα* et *δεσμοί*.

v. 157. *θεράπνη*, serva, per syncopen scriptum etiam Apoll. Rh. Arg. 1, 768; Eur. Hec. 482; ceteris locis omnibus haec vox significat domicilium cf. Eur. Herc. fur. 370, Troad. 211, Bacch. 1045; Nicand. Ther. 486.

v. 163. *μιμεῖσθαι* apud Theognidem, Pindarum, Aeschylum primum occurrit; cf. Batrach. 7.

v. 164. *συνάρω* vocabulum infrequens.

v. 171. *εὔφημος* ante tragicos non invenitur; verbum inde derivatum *εὐφημεῖν* semel adhibuit Homerus Il. 9, 17.

Accedunt *ἅπαξ λεγόμενα* : v. 54 *εὔβως*, 65 *περιτιμήεις*, 72 *κραναήπεδος*, 100 *ζηλοσύνη*, 121 *σπάργειν*, 162 *κρεμβαλιαστύς*.

§. 15.

Alia atque apud Homerum significatione leguntur haec vocabula:

v. 8. *τόξον* universum telum significat et comprehendit arcum et pharetram, si vera sunt, quae de vss. 4—8 doctissime disputavit Baumeisterus[1]). Homerus idem atque noster semper exprimit per pluralem *τὰ τόξα*; contra *τόξον* ei solus arcus est, quem etiam plurali saepissime significavit.

v. 28. *ἐξιέναι* de personis tantummodo Homerus dixit.

v. 31. *ναυσικλειτός* et quod saepius occurrit *ναυσικλυτὸς* de terris apud Homerum non dicitur.

v. 32. *ἀγχίαλος* Homerus dicit de urbibus prope mare sitis, noster de Peparetho insula, ut Sophocles Ai. 134 de Salamine, Aesch. Pers. 861 de Cycladibus. Ilgenius, quem

[1]) Baumeisterus h. H. p. 118.

plerique secuti sunt, correxit *ἀμφίαλος*, quod opus non esse animadvertit Hermannus, si urbem insulae cognominem intellegas. Sed ab hac ratione nimium subtili postea ipse recessit et cum Lobeckio ad Ai. 134 *ἀγχίαλος* de insulis non longe a continenti remotis, altera autem parte in latum mare prospicientibus accepit; quod vereor ne in Salaminem magis cadat quam in Peparethum. Immo quum Aesch. l. l. legatur: *καὶ τὰς ἀγχιάλους ἐκράτυνε μεσάκτους*, nihil aliud illa vox videtur significare nisi id, cui vicinum est mare h. e. circumfluus.

v. 38. *λιπαρωτάτη* de terris Homerus nunquam dixit, saepe Pindarus, Euripides, Aristophanes.

v. 40. *αἰγλήεις* apud Homerum solius Olympi est epitheton; h. l. Clarus ob situm urbis in loco editiori positae vel ob aliam regionis amoenitatem *αἰγλήεσσα* appellata esse videtur.

v. 45. *ὠδίνειν* Homerus dicit de mulieribus parientibus; h. l. transitive usurpatum, ut Eurip. Iph. A. 1234, significat gravidam esse aliquo.

v. 59. *βόσκειν* apud Homerum non dicitur nisi de bestiis, de *γαστέρι ὡς ἐπὶ ἀλόγου ζώου*, de hominibus, qui quasi bestiae sunt[1]).

v. 64. *δυσηχής*, ingratum sonum edens, ab Homero vocatur *πόλεμος* (*οὐ γὰρ ἡδεῖα ἡ τῆς μάχης ἠχή*) et *θάνατος* propter militum morientium ingratum armorum strepitum (*δούπησεν δὲ πεσών, ἀράβησε δὲ τεύχε' ἐπ' αὐτῷ*). Hoc loco oppositum *περιτιμήεις* de mala fama vocabulum intellegendum esse ostendit.

v. 78. *ἀκηδής* apud Homerum aut passive notat incuratus, cuius nemo curam habet; ut *υ* 130, *ζ* 26, *τ* 18, *ω* 187, *Ω* 554, aut active nihil curans, de nulla re sollicitus, sine cura agens, sive in bono sensu securus et audax, sive in malo neglegens cf. *Φ* 123, *Ω* 526, *ρ* 319. Inde delapsa

---

[1]) Cf. Damm. l. c. s. v. βιόω.

vox hoc loco ad notionem aliquantum diversam, significans id, in quo nihil curae est, quod nullam praebet causam sollicitudinis, ut *οἰκία ἀκηδέα* sint tutae latebrae.

v. 90. *γόνος* apud Homerum aut subolem sive progeniem significat aut genus, h. l. genituram ut Aesch. Suppl. 163.

v. 92. *ἔνδοθι* et Ilgenium offendit, quod, „si vera esset haec lectio, Latona intus habuisset deas, ut equus Troianus heroas“ (!), et Hermannum, qui „postulante epicorum usu“ correxit *ἐνθάδε*. Et Homerus quidem non dixit *ἔνδοθι νήσου*; sed cf. Callimachi, quem hymnum nostrum in sinu gestasse multis indiciis apparet, hymn. in Del. 228: *Λητώ τοι μίτρην ἀναλύεται ἔνδοθι νήσου.*

v. 104. *χρυσείοισι λίνοισιν* Homerus dicere non potuit, quum ei *λίνον* semper sit herba illa aut filum ex lino factum aut textum lineum. Contra h. l. *λίνον* universe filum significat e quavis materia factum, si quidem vera est codicum lectio, de qua graviter dubitans Baumeisterus scribendum censuit: *χρύσεον, ἠλέκτροισιν ἐερμένον*; nam quid sibi velint „lina aurea“ sese intellegere negat. At ne cum ipso statuas *χρύσεια λίνα* non modo nusquam dictum esse, sed ne potuisse quidem Graece dici, conferas simillime enunciatum *χαλκέῳ δ' ἐν κεράμῳ* Il. 5, 387.

v. 108. *διανύειν ὁδὸν* recurrit h. H. in Cer. 380, Hes. O. 633, Eur. El. 825 et saepissime apud rerum scriptores. Homerus *διανύειν* semel tantum usurpavit Od. 17, 517 et quidem sensu translato; de itinere verbo simplici *ἄνω* s. *ἀνύω* utitur.

v. 118. *μειδᾶν* s. *μειδιᾶν* de terra Homerus non dixit; cf. similiter usurpatum *γελᾶν* Il. 19, 362; Hes. Th. 40; h. H. in Cer. 14; Ap. Rh. 4, 1171. Illud praeter nostrum locum de agro non dictum esse videtur nisi a Quinto Smyrnaeo *Θ* 476, de mari habet Anth. X. 6, 4.

v. 119. *ἐκθορεῖν* de genitura apud Homerum non legitur, alias frequentatum. cf. Hes. Th. 281; h. H. in Merc. 20;

Callim. in Del. 255. — ὀλολύζειν Homero est clara muliebris cantio ad deos directa[1]) γ 450, δ 767, χ 408, 411 sq.; nostro loco de ipsis deabus usurpatum significat: prae gaudio clamorem tollere.

v. 123. θῆσθαι, quod apud Homerum de infantibus lactentibus dicitur addito μαζόν s. γάλα, h. l. absolute usurpatum est de lactante matre.

v. 125. ἐπάρχεσθαι apud Homerum non legitur nisi addito dativo δεπάεσσι et significat: ad libationem faciendam ex cratere vinum infundere poculis singulorum convivarum cf. Nitzsch. ad γ 340, Buttm. Lexil. I. 100, Doederl. Gloss. §. 911. Quotidiano autem usu trita Homerica locutio facile delabi potuit ad simplicem significationem praebendi vel porrigendi, quae ei inest nostro loco.

v. 139. ἀνθεῖν semel apud Homerum legitur λ 320 de lanugine sub temporibus progerminante; nostro loco ut Homericum θάλλειν dictum sensu abundandi cf. Od. 5, 69 σταφυλῇσιν; 12, 103 φύλλοισι; Il. 9, 208 ἀλοιφῇ; Pind. I. 6 (7), 49 ἁ χρυσέᾳ κόμᾳ θάλλων Λοξία, nitidus coma aurea Apollo. Itaque ἀνθεῖν χρυσῷ est fulgere velut auro superinductum. Similiter dixit Aesch. Ag. 645 πέλαγος ἀνθοῦν νεκροῖς et Pind. Ol. 2, 72 ἄνθεμα χρυσοῦ φλέγει, flores auri fulgent i. e. instar auri splendent flores.

v. 173. ἀριστεύειν apud Homerum non invenitur nisi de hominibus usurpatum; at Pindarus dixit ὕδωρ ἀριστεύει Ol. 3, 42, et (Ἄργος) γυναιξὶ καλλικόμοισιν ἀριστεύει Nem. 10, 10.

v. 175. στρέφεσθαι apud Homerum significat se vertere, convertere, avertere; nostro loco est versari, vagari.

---

[1]) Cf. Damm. l. c. s. v.

§. 16.

De formis declinationum, coniugationum, aliis ab usu Homerico diversis.

v. 26. *κλινθείς* Homerus non dicit, sed *κεκλιμένος* unoque loco (Od. 17, 340) *κλινάμενος*; apud Pindarum demum atque poetas scenicos participium aor. pass. ita invenitur.

v. 30. forma Attica *Ἀθηνῶν* legitur pro *Ἀθηνέων*, quod epicorum usus postulabat videturque hic *Ἀθηνέων* corrigendum esse.

v. 32. *ἀγχιάλη* mss. praebent duobus exceptis omnes; Homerus dicit *ἀγχίαλος* Il. 2, 640, 697; posteriore tamen loco Zenodotus quidem scribendum censuit *ἀγχιάλη*.

v. 36. *εὐκτίμενος*, pro quo Homerus semper habet *ἐϋκτίμενος*. Hinc F. V. Fritzschius nostro versu (deleto *τ'*) rescribit: *Ἴμβρος ἐϋκτιμένη*, qui v. 35 et v. 44 confert.

v. 57. *ἀγινήσω*; futuro huius verbi non utitur Homerus, sed semper dicit *ἄξω*.

v. 120. *λόον* apud Homerum non invenitur; semel ille quidem Od. 10, 361 *λόε* adhibuit pro vulgari *λοῦσε*, sed pro *λόον* semper dicit *λοῦσαν*.

v. 121. *ἁγνῶς καὶ καθαρῶς* adverbia primum leguntur Hes. O. 334.

v. 165. *ἱλήκοι* optativus apud Homerum non occurrit, sed coniunctivus *ἱλήκῃσι* semel Od. 21, 365.

v. 173. *ἀοιδαὶ* plurali non utitur Homerus.

§. 17.

De syntaxi.

v. 26. Vulgo *Κύνθος ὄρος*, ubi Homeri usus genitivum exigit, ut *Ἴδης ὄρος*, *ὄρος Κυλλήνης*, *Τηρείης*, *Μαλειάων*, *Παρνησοῦ*. Sed quum infra v. 141 hic poeta *Κύνθος* dicat masculino genere neque usquam, praeter hunc hymni locum, inveniatur neutro genere dictum, et v. 35 legatur *Αὐτοκάνης*

ὄρος, est cur de lectionis veritate graviter dubites et cum Holstenio ad Steph. Byz. et Godofr. Hermanno ad h. l. scribendum censeas *Κύνθου ὄρος*.

v. 42. *Μερόπων ἀνθρώπων*. Vox *ἄνθρωποι* nomini gentis iuncta apud Homerum non invenitur; cf. Ap. Rh. Arg. 2, 677 *Ὑπερβορέων ἀνθρώπων*.

v. 45. *ὠδίνειν* apud Homerum absolute ponitur, h. l. est verbum transitivum.

v. 73. *ὠθεῖν ἐν (πελάγεσσιν)* Homerus non dixit, sed *ἐς* aut *ποτί (προτί)*.

v. 75. *κλύζειν* apud Homerum sensu neutrali dicitur: fluctuando sonum edere; h. l. active usurpatum significat: fluctibus perluere cum sonitu.

v. 108. *μεσηγύς*, Homero adverbium, hic articulo adiuncto substantivi locum tenet cf. h. H. in Cer. 317; Theogn. 553; Theocr. 25, 116.

v. 111. *ἔπεα πτερόεντα προσηύδα* h. l. aliter dictum est atque in carminibus Homericis, ubi ipsa loquentis verba statim subsequuntur (interiectis duobus versibus *ν* 165) aut praegressa sunt (*Ω* 142).

v. 121. *ἁγνῶς καὶ καθαρῶς λούειν τινά* prorsus singulariter dictum, quum verbum *λούειν* nullo alio loco cum tali adverbio iunctum inveniatur. Ipsa iam adverbia *ἁγνῶς* et *καθαρῶς* perraro occurrunt excepta locutione *ἁγνῶς* s. *καθαρῶς ἔχειν, βίον διεξελθεῖν; καθαρῶς* vero *λούειν* nemo alius dixit. Conferas licet Hes. O. 339 *ἁγνῶς καὶ καθαρῶς ἔρδειν τοῖς θεοῖς*, quamquam aliquantum etiam a nostro loco distat.

v. 142. *νήσους ἠλασκάζειν*, insulas pererrare, Homerus non dixit; immo verba *ἀλάομαι, ἠλάσκω, ἠλασκάζω* iungit cum praepositionibus *κατά, περί, ἐπί, ὑπείρ*; contra *ἠλασκάζειν* cum acc. ei est evitare cf. Od. 9, 457. Similem atque nostro loco constructionem habes infra 175, Callim. in Dian. 194, Theocr. 13, 68.

§. 18.

De metro.

Ad rationes metricas quod attinet, sponte cuique in oculos incurrit magnus versuum spondiacorum numerus, quibus Homerus non utitur, nisi ut ipso versus pondere sententiae gravitatem adaugeat; contra nostri carminis auctor cum serioribus poetis etiam deficiente iusta causa illos adhibuit. Leguntur autem versus spondiaci hi: v. 10, 31, 42, 44, 54, 62, 67, 76, 93, 94, 97, 115, 128, 142, 143, 158, 161, 167, 171, 177.

Pars IV.

De hymni aetate atque auctore.

§. 19.

Testimonia veterum inter se pugnant.

Poeta ipse versibus 166 sqq. puellas Deliacas, quisnam carminis dulcissimi auctor sit, quaerentibus respondere iubet:

τυφλὸς ἀνήρ, οἰκεῖ δὲ Χίῳ ἔνι παιπαλοέσσῃ.

Hunc igitur caecum vatem Chium Thucydides loco saepius iam laudato [1]) Homerum fuisse eloquitur, similiterque Aristophanes versum 114 hymni nostri respiciens in Avibus dicit [2]):

Ἶριν δέ γ' Ὅμηρος ἔφασκ' ἰκέλην εἶναι τρήρωνι πελείῃ.

Denique accedit auctor Certaminis Homeri et Hesiodi, cuius verba haec sunt [3]): *Ἐνδιατρίψας δὲ τῇ πόλει χρόνον τινὰ διέπλευσεν (Ὅμηρος) εἰς Δῆλον εἰς τὴν πανήγυριν καὶ σταθεὶς ἐπὶ τὸν κεράτινον βωμὸν λέγει ὕμνον εἰς Ἀπόλλωνα, οὗ ἡ ἀρχή· Μνήσομαι οὐδὲ λάθωμαι Ἀπόλλωνος ἑκάτοιο. Ῥηθέντος δὲ τοῦ ὕμνου οἱ μὲν Ἴωνες πολίτην αὐτὸν κοινὸν ἐποιήσαντο, Δήλιοι δὲ γράψαντες τὰ ἔπη εἰς λεύκωμα ἀνέθηκαν ἐν τῷ τῆς Ἀρτέμιδος ἱερῷ.*

At hi testes, etsi antiqui et priores quidem fide dignissimi, tamen ab Homeri aetate maiori temporum inter-

---

[1]) Thuc. III. 104.

[2]) Aristoph. Av. 575, ubi nostro versu cf. Il. 5, 778, ductus Meinekius pro εἶναι coniecit: βῆναι.

[3]) Cert. Hom. et Hes. ed. Goettl. p. 325.

vallo disiuncti sunt, quam ut verum indagantibus omnem dubitationem eximere neque erroris, quamvis inconsulto commissi, suspicionem movere putandi sint. Praeterea in opere historico nullum locum esse recte Matthiaeus monuit quaestioni de vero carminis auctore instituendae, neque Thucydidem, ubi carminis antiqui auctoritate uti vellet, alio illud titulo designare aut potuisse aut debuisse, nisi quo vulgo notum esset. Itaque nihil illi scriptores elocuti sunt nisi communem aequalium suorum sententiam, qui praeclara omnia, quorum auctores ignorabantur, ad antiquum aliquem virum eoque in genere excellentem referre consueverant, imprimis vero permulta carmina epica poetarum principi attribuerunt, quae re vera compluribus saeculis post Homerum condita esse hodie inter omnes literarum peritos constat[1]). At ne videtur quidem iste hymnus satis notus vel communi antiquitatis suffragio Homero adiudicatus fuisse, si quidem ex antiquioribus praeter Thucydidem et Aristophanem nemo eius mentionem fecit; quem si cognovissent et ab Homero profectum existimassent summi viri iique carminum Homericorum studiosissimi, imprimis Pisistratidarum aetate, non sane illum prorsus neglexissent ac silentio praeteriissent. Ex Alexandrinis vero criticis nemo unquam hymnos Homero tribuit[2]), et in hac re ipsum silentium eorum, quorum opera nobilissima erat in Homero posita, pro documento gravissimo habendum esse videtur. Quid? si illud etiam addimus, iam antiquitus non defuisse, qui, ut omnes hymnos, ita carmen in Apollinem nostrum ab Homero abiudicarent. In universum enim ex duobus vitae Homeri auctoribus, Leonis Allatii „de patria Homeri" libello insertis, alter, Anonymus, hanc sententiam aperuit: *οὐδὲν δὲ*

---

[1]) Hymni nostri eo facilius Homero postea attribui poterant, quod hymnos vere eum condidisse ex Suida colligere licet, apud quem (s. v. Μαιονίδης) Homerus a vetere poeta dicitur χοίρανος ὕμνων.

[2]) Cf. Wolf. Prolegg. ad Hom. p. CCXLVI. not. CCLXVI.

αὐτοῦ θετέον ἔξω τῆς Ἰλιάδος καὶ τῆς Ὀδυσσείας· ἀλλὰ δὲ καὶ τοὺς ὕμνους καὶ τὰ λοιπὰ τῶν εἰς αὐτὸν φερομένων ποιημάτων ἡγητέον ἀλλότρια καὶ τῆς φύσεως καὶ τῆς δυνάμεως ἕνεκα.

De hymno autem Deliaco quod Ruhnkenius sibi invenisse videtur testimonium Thucydidi repugnans, facile illud quidem infringi et debilitari potest. „Nunquam", inquit[1]), „a nobis impetrabimus, ut, ubi res ad testimonium venerit, unius hominis, quamvis summam, auctoritatem ratam habeamus, plurimarum gentium repudiemus. Atqui quod affirmat Thucydides, negant

Σμύρνα, —, Κολοφών, Ἰθάκη, Πύλος, Ἄργος, Ἀθῆναι,

ut alias civitates taceam. Quarum quaeque, dum sibi Homerum civem vindicat, hunc in Apollinem hymnum, ubi Homerus Chius dicitur, *ὑποβολιμαῖον* esse clamat." Quem tamen facile Ilgenius[2]) ita redarguit, ut *οἰκεῖν* non necessario de soli natalis inhabitatione intellegi diceret; posse aliquem alio loco natum esse, alio sedem rerum suarum figere; ut Il. *Ξ* 115, *B* 668.

Contra disertis verbis Thucydidi adversatur scholiastes Pindari ad Nem. II. 1: *Μετὰ δὲ ταῦτ ακαὶ οἱ ῥαψῳδοὶ οὐκέτι τὸ γένος εἰς Ὅμηρον ἀνάγοντες· ἐπιφανεῖς δὲ ἐγένοντο οἱ περὶ Κύναιθον, οὕς φασι πολλὰ τῶν ἐπῶν ποιήσαντας ἐμβαλεῖν εἰς τὴν Ὁμήρου ποίησιν· ἦν δὲ ὁ Κύναιθος Χῖος, ὃς καὶ τῶν ἐπιγραφομένων Ὁμήρου ποιημάτων τὸν εἰς Ἀπόλλωνα γεγραμμένον ὕμνον λέγεται πεποιηκέναι· οὗτος οὖν ὁ Κύναιθος πρῶτος ἐν Συρακούσαις ἐῤῥαψῴδησε τὰ Ὁμήρου ἔπη κατὰ τὴν ἑξηκοστὴν ἐνάτην ὀλυμπιάδα, ὡς Ἱππόστρατός φησιν.*

---

[1]) Ruhnk. Ep. Crit. I. l. c. p. 90.
[2]) Ilgenius h. H. p. 242 sq.

§. 20.

Argumentis ex ipso carmine petitis controversia disceptatur.

Itaque quum solis veterum testimoniis rem confici non posse appareat, quamquam nonnihil illa ad quaestionem nostram valere infra videbimus, nostrum erit, argumentis ex ipso carmine petitis hymni aetatem quam accuratissime possumus definire. In hac autem re difficili ita nobis versandum esse videtur, ut terminos constituamus, intra quos hymnum Deliacum conditum esse necesse sit. Quam ob rem primum post Homeri tempora carminis auctorem vixisse, ac deinde Pindaro aetate longe esse superiorem demonstrabimus.

Inter Homerum igitur et caecum vatem Chium aliquantum temporis intercessisse quum ex virtute poetica et universo dictionis colore efficitur, tum ex rebus quibusdam a mythologia Homeri et scientia geographica abhorrentibus. De virtute enim poetica quemque, qui Homerici ingenii vim ac praestantiam cognoverit, A. Matthiaeo assensurum esse confido. „Ubi ubertas illa ingenii", inquit[1]), „orationis copia ac perspicuitas, imaginum vivida vis, ea rerum omnium ad sensuum ac phantasiae rationes apta repraesentatio, qua fit, ut ante oculos quisque suos agi eas putet, in nostro hymno conspicitur, qua Homerica carmina immortalitatem consecuta sunt? Contra hic oratio plerumque est ieiuna ac tenuis... phantasmatum poeticorum vis fere nulla; fabulae expositio minus perspicua." Quantum deinde auctoris nostri genus dicendi ab elocutione Homerica differret, supra iam exposuimus. Tum et Sami et Cnidi mentio (vv. 41. et 43.) ab Homero aliena; illam enim insulam Strabo ostendit[2]) sub hoc

---

[1]) A. Matthiae: Animadvv. p. 19.

[2]) Cf. Strabo X p. 457.

saltem nomine nondum cognitam fuisse Homero, quippe qui Samothraciam tantum et Cephalleniam Samum appellaverit; et de Doriensium colonia Megaris in Cretam, Rhodum, Cnidum deducta idem auctor[1]) haec habet: *ταῦτα δὲ νεώτερα τῶν ὑφ' Ὁμήρου λεγομένων ἐστί. Κνίδος μὲν δὴ καὶ Ἁλικάρνασσος οὐδ' ἦν πω.* Denique tota hymni nostri fabula de Latonae erroribus, de Apolline in Delo insula nato, de celeberrimo conventu Deliaco prorsus ignota Homero fuisse videtur, si quidem uno tantum loco Delum commemorat Od. ζ 162:

Δήλῳ δή ποτε τοῖον Ἀπόλλωνος παρὰ βωμῷ
φοίνικος νέον ἔρνος ἀνερχόμενον ἐνόησα-

ὣς δ' αὔτως καὶ κεῖνο ἰδὼν ἐτεθήπεα θυμῷ
δήν, ἐπεὶ οὔπω τοῖον ἀνήλυθεν ἐκ δόρυ γαίης,
ὡς σέ, γύναι, ἄγαμαί τε τέθηπά τε κ. τ. λ.

verbum non amplius addit. Itaque quum solam palmae pulchritudinem Ulixis oculos dicat advertisse, dubitare nequeo, quin mythum illum, quo haec arbor in carmine nostro sacrata apparet, Homerus ignoraverit; praesertim quum praecipuus Apollinis cultus ei in Lycia vigeat, unde denominatio dei non infrequens *Λυκηγενής*. Quin etiam non magnopere relucter, si quis illum Odysseae locum ansam dedisse contenderit ad fabulam de Latone palmae in partu innitenti narrandam. — Atqui si Homerus carmen nostrum condidisse non potest, vehementer errant, qui principem poetarum vss. 166 sqq. suam ipsius imaginem adumbrasse et veterum et recentiorum haud pauci sibi persuaserunt. Immo vero in Sengebuschii sententiam[2]) pedibus eundum, qui compluribus indiciis sagacissime collegit, fabulam de caecitate Homeri et quaecunque de eius vitae condicionibus vulgo narrarentur, ex hoc ipso loco esse ducta, postquam omnia, quae Homeri-

---

[1]) Strabo XIV p. 653.

[2]) Cf. Sengebuschii dissert. Hom. II p. 15. sqq.

darum erant, Homero adscribere deque ipso quid sciri posset cupide circumspicere coepissent Graeci philosophi et rerum scriptores.

Iam transeamus ad alteram quaestionis nostrae partem, qua Pindaro hymnum Deliacum aetate antecedere demonstraturi sumus. Primum igitur adnotandum esse videtur, carminis nostri elocutionem, quamquam neque Homericae dictionis virtutes assequatur et singulis vocabulis, formis, constructionibus ab usu principis poetarum recedat, tamen non fuco uti neque quaesitis ornamentis, sed nativo quodam ac simplici colore ita sese commendare, ut praeter ceteros hymnos perantiquum auctorem esse declaret. Deinde scholion[1]) illud celeberrimum ad Pind. Nem. II 1, quo Cynaetho Chio hymnus noster adscribitur, aut omnino fidem meret nullam aut numerum olympiadum corruptum habet[2]); an credibile est carmen aliquod octoginta tantum annorum spatio (tot enim inter Cynaethum illum et Thucydidem intercesserunt) eam vetustatis opinionem esse consecutum, ut ab auctore gravissimo poetarum principi tribueretur? Eodem ducit Baumeisterum[3]) locus ille, quem e Certamine Homeri et Hesiodi supra exscripsimus[4]): „Hoc enim album (λεύκωμα, tabula gypso superinducta) etiamsi non eo quo ille (Certaminis auctorem intell.) vult tempore in templo sit propositum, tamen antiquitatis famam prae se ferebat, quam post Pisistratidarum aetatem non facile fuerit ementiri ita, ut Thucydidem res latuerit.“ Itaque quamquam Thucydidis testimonium non efficit, ut carmen nostrum ad auctorem Iliadis et Odysseae referamus, tamen rerum scriptorem iudicii

[1]) Cf. §. 19 in fin.

[2]) Welckerus in cycl. ep. I. 237 pro τὴν ἑξηκοστὴν ἐνάτην ὀλ. coni. τὴν ἕκτην ἢ τὴν ἐνάτην.

[3]) Baum. l. c. p. 13.

[4]) Cf. §. 19 init.

sobrietate eximia rectissime iudicabis Homero id non tributurum fuisse, nisi longe ante ipsius aetatem exstitisset. Sed addi possunt alia et graviora. Namque ut Iridis ministerium v. 102 omittam, cuius in locum poetae posteriores Mercurium substituerunt[1]), primum magno argumento est ipsius fabulae simplicitas initia tantum ac quasi semina ornatus eius continentis, quo postea instructa fuit. Etenim in eo quidem omnes poetae et mythographi consentiunt, quod Latonam Apolline gravidam omnes terras dicunt et insulas obiisse, si cui persuadere posset, ut locum ipsi ad pariendum concederet, undique vero repulsam tulisse, donec Delum adierit: sed duabus in rebus nostri auctoris narratio a ceteris omnibus discrepat et aliquanto simplicior est atque ob id ipsum antiquior. Nam quum vulgo Iunonis invidia per omnes Latona terras exagitata esse dicatur et propter Iunonis iram ab omnibus repudiata, noster poeta erranti deae hoc consilium tribuit, ut terras ad cultum filii recipiendum permoveret, Iunoni autem eas tantum partes, quas eidem in Alcmenae partu Homerus dedit Il. T 119, ut Ilithyiam ab ope Latonae ferenda arceret. Quamvis enim multa ante v. 30 excidisse statuas, tamen fieri non potest, ut versibus deperditis poeta Iunonem fecerit terras exsecrantem, si qua Latonam reciperet, quoniam vss. 47 sqq. et 66 sqq. neque ceterae neque Delus recusationi suae iram Iunonis praetendunt, sed reverentiam suam et metum, ne Apollini situ ac solo minus idoneo uti videantur neve deus de hac re iratus incommodo ipsas aliquo afficiat. Alterum poetae nostri proprium in eo cernitur, quod iam ante Apollinem natum Delus eadem atque omnes insulae utitur condicione, quum ceteri poetae et mythographi insulam, antea instabilem et undis obrutam, postea demum pro beneficio Latonae praestito emersisse dicant et in fundo maris esse fixam.

---

[1]) Cf. Bottigeri: Griech. Vasengemälde I 2 p. 113.

Utra autem harum fabularum antiquior sit, dubium esse non potest, praesertim si cogites, ipsam etymologiam nominis *Δῆλος*, quod insulam manifestam significat, quasi alio tempore fuerit *ἄδηλος*, sine dubio ansam dedisse posterius illud excogitandi. Iam vero si Pindarus in hymno Ceis in Delum scripto (cuius fragmenta eam ipsam fabulam continentia supersunt apud Strabonem X 485)[1]) insulae fluctuantis errores primus commemorasse traditur a scholiasta ad Hom. Od. *κ*. 3,[2]) efficitur, ut carmen nostrum aliquanto ante Pindari aetatem scriptum sit.

Accedit denique alterum argumentum gravissimum ab A. Matthiaeo[3]) ex extrema hymni nostri parte et Thucydidis testimonio sic ductum: „Poeta noster de ludis gymnicis ac musicis in Delo institutis ita loquitur, ut eos ipsius adhuc tempore celebrari solitos fuisse intelligas. At Thucydides III, 104 non solum narrat, eos olim, *τὸ πάλαι*, habitos fuisse, deinde vero paulatim exolevisse, donec Athenienses Ol. 88, 3 insulam lustrarent, sed etiam, ut ludos tales olim ibi fuisse demonstret, hymni nostri auctoritate utitur, quod necesse non habuisset, nisi eius rei memoria longo temporis intervallo iam tum tota interiisset. Videntur autem ii ludi iam ante Pisistrati tempora seu ante Ol. 55. evanuisse, quandoquidem ille, auctoribus Thucydide l. c. et Herodoto I 64. Delum quoque ex parte expiaverat, unde iam tum et insulam et sacra sollennia iacuisse colligas."

Quid? si illud etiam addimus, quod recte addi potest, ipsam eam insulae partem a Pisistrato esse purgatam, in qua sine dubio ludi illi instituti erant: *ὅσον ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ ἐφεωρᾶτο τῆς νήσου*? Cogitare enim non licet, Deli incolas eo processisse impietatis, ut mortuos eodem loco sepelirent,

---

[1]) Cf. Pind. frgm. 58 ed. Boeckh. cf. Preller: Griech. Mythologie 2. Auflage. p. 185 sqq.

[2]) Cf. Senecae Qu. Natt. 6, 26.

[3]) A. Matth. animm. p. 23.

quo ludi illi in Apollinis honorem etiamtum certis temporibus solerent celebrari. Quae quum ita sint, a vero minime aberraveris, si hymnum nostrum non modo Pindari, sed etiam Pisistrati aetatem aliquantum superare arbitreris.

Omnia igitur, quae in extrema hac dissertationis parte diximus, ut paucis complectamur, disputationis nostrae summa haec est: Auctor hymni Deliaci, qui idem recitabat, caecus fuit et oriundus ex Homeridarum gente Chia; nomen quidem eius incertum manet, sed omnino hoc tenendum, Homero quidem aliquanto illum fuisse aetate inferiorem, Pindaro autem, quin etiam Pisistrato longe antecessisse. Si non antiquior, aequalis certe septem sapientium fuit.
